GENERALIS CONTROVERSIA DE INDVLGENTIIS.

A

M. VALENTINO LAVRENTIO VIDAVIENSI,
PHILOSOPHIAE, ET S. THEOLOGIAE DOCTORE,
conſcripta: & authoritati, atq; iudicio
Sanctæ ſedis Apoſtolicæ Romanæ
ſubiecta.

Canticorum 2.

SVB VMBRA ILLIVS, QVEM DESIDERAVERAM, SEDI: ET FRVCTVS EIVS, DVLCIS GVTTVRI MEO.



CRACOVIÆ,
In Archityp: Regia & Eccleſiaſt. Lazari,
Anno. M. D. XCIII.

2. ad Corinth. 7.

HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES CHARISSIMI, MVNDEMVS NOS AB OMNI INQVINAMENTO CARNIS ET SPIRITVS, PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM IN TIMORE DEI.

ILLVSTRIS.

ILLVSTRISSIMO, R.DISSIMO, & Sapientiſsimo Principi, Domino,

D. GEORGIO RADZIVIL,

S. R. E. TITVLI SANCTI SIXTI, PRESBYTERO CARDINALI: CRACOVIENSIS EPISCOPATUS Adminiſtratori perpetuo: Academię Cracouienſis Cancellario: Duci Seuerien. Olicæ & Nieſwiéz, &c.

Domino, Principi, & patrono optimo, & præſtantiſs°,

VALENTINVS LAVRENTIVS VIDAVIENSIS,

Salutem plurimam, gratiam, pacem, cum omni genere bonorum.

DISPVTATIONVM GENERA MVLta eſſe, docet Ariſtoteles: Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Princeps: ſed vnum illud certiſſimum, cuius cauſa inuenta res ipſa eſt; vt ſciamus, & poſsimus ſartam tectam, ſanam & integram fidem, doctrinam, & veritatem Catholicam retinere, propagare, & eadẽ fide, qua à maioribus accepimus, poſteris per manus tradere: tùm contra eos, qui fidei doctrinæ, & veritati Catholicæ contradicunt, authoritati ſacræ ſcripturę aduerſantur, & Spiritui Sancto reſiſtunt, arguere: errantes in viam reducere: &, quod rei caput eſt, de rebus incorruptè iudicare; vt talem vnamquamque exiſtimemus, qualis ipſa eſt: ne vilia ſectemur, tanquam pretioſa, aut pretioſa tanquam vilia reijciamus: ne vituperemus laudanda, néue laudemus vituperanda: quia ſcriptum eſt Iſaiæ cap. 5. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarũ in dulce, & dulce in amarum. Et tales, ſicut & inobedientes, vaniloquos, & ſeductores hæreticos oportet ſcholaſtica diſputatione redargui. Sed ex omni genere diſputationum, illas extraordinarias, priuatas, &

vagas diſputationes, quæ cum ſophiſtis hæreticis peruerſis, non palàm in Eccleſia coram clero & ſacerdotibus, aut coram deputatis ab officio prudentibus, honeſtis, & fide dignis teſtibus, neq; in ſcholis, & Academijs Catholicis, coram idoneis & doctis auditoribus, ſed ex inſidiis clàm, domi, labijs doloſis, lingua magniloqua, verbis malignis, ſermone ſophiſtico, fraudis & doli mali pleno, coram imperita & ſeducta plebe fieri ſolent; præſertim ſine conſilio ſeniorū, ſine licentia, & benedictione proprij Pontificis, aut eius Vicarij, nunquam probaui: nullo modo ad eas tanquam ad idolotita, & in lege prohibitas carnes, conſentire potui, 2 Machab. 6. tùm quia tales diſputationes Sacra ſcriptura, ſed inprimis Apoſtolus pluribus locis prohibuit: tùm quia fruſtrà ſine capite, Palæmone, iuſto, proprio, & ſine legittimo iudice ſuſcipiuntur; & propterea nulla ſententia, nullo decreto dirimuntur, nullo ordine procedunt, nullo fine clauduntur: tùm quia corrumpunt bonos mores: nam ſæpenumerò moleſtiſsimis litibus, ac contentionibus, clamore graui, tantùm non bello, finiuntur. In ſumma, iſtæ priuatæ cum hæreticis diſputationes ſunt ſuſpectæ, inutiles & vanæ: nam talibus diſputationibus hæretici non conuertuntur, & ſimplices ſacerdotes aliquando, Deo permittente, ſeducuntur, & in errorem mittuntur, iuxta illud Pſalm. 17. Et cum peruerſo peruerteris. Vnde Sapiens Prouerb. cap. 8. Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna. Et paulò pòſt ibidem: Cum fatuis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. Et Apoſtolus, 1. ad Corinth. cap, 11. Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Verùm enimuerò, ſi quando priuato homini cum hæretico diſputandum eſt: diſputandum non uerbo, ſed ſcripto: tùm quia hæretici falſis ſcriptis ad reſcribendum frequenter prouocant, & dant occaſionē & cauſam reſcribendi: tùm quia diſputatio, quæ ſcriptis inſtituitur & committitur, minus trahit abſurdi, minus ſcandali, minus periculi, & poſſunt vtiq; talis diſputationis plura dari ex·

ri exempla. Nam D. Ambroſius ſcriptis refutauit Nouatianos, & alios hæreticos. D. Auguſtinus non minus copioſè, quàm acutè ſcripſit contra multos hæreticos, vt contra Pelagianos, Manichęos, contra Fauſtum, Manichæum, Donatiſtas, & alios. Similiter D. Hieronymus contra Iouinianum, Vigilantiũ, & alios. Et Vincentius Lirineñ. aureo ſuo libello plurimos hęreticos, vt Arianos, Neſtorianos, Nouatianos, &c. doctiſſimè, & feliciſsimè refutauit. Hi, & alij ſancti Patres, per quos Spiritus Sanctus loquutus eſt, diſputationes iſtas, quæ pręſentibus verbis, communi ſermone, & familiari colloquio cum hæreticis fiunt, ſemper vbique ex induſtria fugiebant: nolebant, exemplo ſtulti Menalcæ Virgiliani, ſuam bonam mentem committere cum hæreticorum inſania. Benè ſciuerunt Patres iſtud Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 1. hęretici non intelligunt quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant: ergo ad diſputandum ita ſunt inepti, ſicut Aſinus ad lyram. Quãobrem Sapiens admonet Prouerb. 26. Ne reſpondeas ſtulto, iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris illi ſimilis. Reſponde ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. D. Hieronymus: Non hæc, inquit, inuicem ſibimet contraria debent videri, Non reſpondere ſtulto ſecudùm ſtultitiam eius: &, reſpondere ſtulto iuxta ſtultitiam eius. vtrumq; enim pro temporum, locorum, & perſonarum diuerſitate commendat, dum & ſtultus contemnitur; quia non percipit ſapientiam, & ſtulta ſuperbia alia decutitur ſtultitia, iuxtà, quod Apoſtolus dicit: Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. Poteſt etiam dici, & conciliari ſic: Ne reſpondeas ſtulto, iuxta ſtultitiam ſuam, hoc eſt, præſentibus verbis, & ore ad os loquendo. Reſponde ſtulto, id eſt ſcriptis, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Sed vt iam, miſsis alijs, de re præſenti pauca dicam: Ego, vt hanc Controuerſiam contra hæreticos, qui ſanctas Indulgentias ſuo extremo malo blaſphemant, oppugnant, & perſequuntur, ſcriberem, multis cauſis ſum adductus. Nam commune bonum, communi conſilio, ſtudio, & opera, bona fide omnes tueri, defendere, & cõſeruare debemus: quia ſi boni filij theſaurũ, & hæreditate morte maiorum relictã

magnis vigilijs cuſtodiunt: & Catholici profectò, ſed præcipuè ſacerdotes, cæleſtem theſaurum indulgentiarum in Eccleſia depoſitum, traditum, & relictum, magno ſtudio & labore cuſtodire,& conſeruare debent, iuxta illud Prouerb. cap. 1. Ne dimittas legem matris tuæ, & Lucæ cap. 12. Beati ſerui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. &c. Et poſt pauca: Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ergo nihil turpius, nihil ab officio Catholici magis alienum videri debet, quàm vigilante Iuda, in re tanti momenti, dormire Petrũ, & vndiq; graſſantibus lupis, paſtorem ſui gregis curam abijcere, ac huius demùm ſeculi, imò tenebrarum filios in ſua generatione magis, quàm in Chriſti regno lucis filios ſapere, & prudentiores eſſe. Proinde, quia Chriſti ſeruus ſum, nolui pecuniam Domini mei, mihi creditam abſcondere, nolui talentum fodere in terram; & quia homo peccator ſum, & oratione ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ opus habeo, indulgentiam meditor, indulgentiam ſicut miluus pluuiam deſidero: & ſicut ceruus fontes aquarum ſitio. Propterea vt poſſim cum pœnitentibus eſſe particeps indulgentiarum; generalem controuerſiam de indulgentijs methodo ſcholaſtica, ſtilo communi, & quo ſcholaſtici vtũtur ſcripſi: currentibus calcar addidi: & illos, qui paucos habent libros, quantum potui, & quantum per cathedram licuit, iuui. Quoniam verò ſua cuique virtuti laus debetur, idcircò memor ego officij mei, quia me multum Paſtori, & Cancellario illuſtris & almæ Vniuerſitatis Cracouieñ. debere agnoſco, dum nobiliſſima, & frequentiſſima vrbs Cracouia, vnà cum ſua Academia, & alijs ordinibus Illuſtriſ. Celſitudini Veſtræ, ſanum, ſaluum,& felicem in patriam reditum, & optatiſſimũ ac ſolennem ad Epiſcopatum bonis auibus ingreſſum, pro ſuo officio gratulatur, ego fructum lucubrationum mearum, Controuerſiam de Indulgentijs, ad laudem, gloriam, & honorem Dei Omnipotentis,& ad vtilitatem ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ ſcriptam, Reuerendiſ. Celſitudini Veſtræ, bono & alacri animo dedico, & offero.

fero. Nam Illuſtriſ. Celſitudo Veſtra pro ſuo officio, ac potius pietate, & ſapientia, quàm primùm Cracouiam Romà rediiſſet, & Eccleſiam de ſuo Sponſo, & Epiſcopo certiorem feciſſet; omnes nos, omniuṁ laborum, & peregrinationū ſuarum participes eſſe voluit, & fecit. Nam pretioſam negotiationis ſuę margaritam, Indulgentiam ſanctam, quam quæſiuit, & apud S. D. N. Clementem Octauum, Summum Pontificem Romanum, & ſuperioribus annis Regni Poloniæ fœliciſſimū pacificatorem, inuenit, obtinuit, attulit: cum Eccleſia multis modis communicauit: eſurientes Catholicos ſpiritualibus impleuit bonis, & diuites & hæreticos dimiſit inanes. Deum Opt. Max. precor, vt Reuerendiſs. Celſitudinem Veſtram, ſanum, ſaluum, & incolumem in multos annos eſſe velit, iubeat, faciat: deinde vt hanc adminiſtrationem Illuſtriſ. Celſitudinis veſtræ, hoc difficili tempore, propitius tueatur: & vt pios conatus Amplitudinis Tuæ in ſuam æternam gloriam, benè fortunet. Cracouiæ, in maiori Collegio, Calendis Martij. Anno Domini M. D. XCIII.

Eccleſiaſt. 33.

TIMENTI DEVM NON OCCVRRENT MALA: SED IN TENTATIONE DEVS ILLVM CONSERVABIT, ET LIBERABIT A MALIS. SAPIENS NON ODIT MANDATA, ET IVSTITIAS: ET NON ILLIDETVR, QVASI IN PROCELLA NAVIS. HOMO SENSATVS CREDIT LEGI DEI: ET LEX ILLI FIDELIS.

AD LECTOREM.

ISaias Capite Quinquageſimo quinto dicit: Quærite Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum propè eſt. Derelinquat impius viam ſuam: & vir iniquus cogitationes ſuas: & reuertetur ad Dominum, & miſerebitur eius: & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neq; viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris: & cogitationes meæ, à cogitationibus veſtris. Inter vias Dei, quibus venire ſolet ad homines, eſt indulgentia: & inter vias hominum, quibus venire & appropinquare ſolent ad Deum, eſt conuerſio, contritio, confeſſio, pœnitentia, & ſatisfactio. Habet igitur Deus vias ſuas, quibus venire ſolet ad homines: & homines viciſſim habent vias ſuas, quibus veniunt, redeunt, appropinquant, & appropinquare debent ad Deum. Viæ Dei ſunt, de quibus dicit Propheta, Pſalmo vigeſimo quarto: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius. Viæ autem hominum ſunt multiplices, & variæ: verùmtamen omnes patent oculis Dei: Prouerb. cap. ſedecimo. In ſumma, via hominum quædam recta, quædam obliqua: Via recta eſt via media, via anguſta, vt fides, ſpes, charitas, prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudo, humilitas, obedientia, pœnitentia, patientia, caſtitas, perſeuerantia, &c. Hac quæritur & inuenitur Deus: & hæc ducit ad vitam. Vnde Dauid Pſalmo ſexageſimo octauo, & centeſimo quarto: Quærite Deum, & viuet anima veſtra: quærite faciem eius ſemper. Via obliqua eſt, via ſpatioſa, lata, & quæ non niſi per extrema vagatur: & hac impij recedunt à Deo. Huius viæ vltima meta Præcipitat captos, voluitq; per ardua ſaxa: iſta ducit ad infernum. Vnde Saluator Matth. cap. ſeptimo: Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Verùmenim verò Sancta mater Eccleſia Catholica, quia eſt ſponſa ſummi ſponſi Meſſiæ, mediatoris, redem-

redemptoris, & ſaluatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, dum præcedentem ad illam ſupernam ciuitatem Ieruſalem ſponſum, & mediatorem ſuum ſequitur, ſemper vbiq; mediam viam, non ſolùm ipſamet eligit, & tenet; verùmetiam filiis & pueris ſuis oſtendit, & demonſtrat, & non niſi per mediam viam, vſque ad finem, & ſcopum perducit. Contrà, vias obliquas, vias extremas, prohibitas, & ſuſpectas: quia hæreſis, erroris, inſidiarum, ſcandalorum, laqueorum, fraudis, & periculorum plenæ ſunt: ſemper, vbique cum ſuis ex induſtria declinat, & fugit cane peius & angue. Verbi gratia: Mittit ſancta mater Eccleſia ſacerdotem quempiam ad docendum & prædicandum Euangelium cum authoritate; ſtatim oſtendit illi viam mediam, & dicit cum beato Apoſtolo ad Romanos cap. duodecimo: Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Similiter, quoties in Eccleſia ad laudem, honorem, & gloriam omnipotentis Dei, & neceſſitatem atque vtilitatem Eccleſiæ, ſiue orandum, vigilandum, ieiunandum, ſpeculandum, vel aliquod pietatis opus, aut ſacrum officium faciendum, toties ſancta mater Eccleſia, teſte D. Ambroſio, ſuper cap. quartum Lucæ, medium tenendum, obſeruandum, & amplectendum, docet ac præcipit: iuxta illud Apoſtoli, ad Rom. cap. duodecimo: Rationabile obſequium veſtrum. Sed & Horatius lib. 1. Epiſtola ſexta ad Numitium dicit:

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.

Et certè, Melius eſt (inquit D. Hieronymus, ſuper ſedecimum caput Prouerbiorum) in ſimplici conuerſatione Deo deuotè ſeruire, quàm multis abundantem virtutibus: verbi gratia, eleemoſynis, orationibus, ieiuniis, caſtitate, doctrina, proximorum facta deſpicere, & de ſua quaſi ſingulari ſublimitate gloriari. Si igitur ſanctam matrem Eccleſiam Catholicam ſequemur ducem, aberrabimus nunquam. Semper autem meminiſſe debemus illius verbi ſancti Ambroſii: quia diabolus ſuo laqueo neminem captiuat, niſi per extrema vagantem: qui tenent viam mediam, tutiores ſunt. Ab hac via media deerrauerat aliquando Propheta San-

ctus Iob: Iob capite tredecimo: ſed ſtatim ſeipſum correxit, emendauit, & in viam rediit, vnde dicit: Etiam ſi me occiderit, in eo ſperabo: verùmtamen vias meas in conſpectu eius arguã, & ipſe erit ſaluator meus. Et Dauid Pſalmo vigeſimo quarto: Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua: & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Et Pſalmo centeſimo decimo octauo: Erraui ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus. Propterea Propheta Iſaias, cap. quadrageſimo clamat: & vox clamantis ſanctus Ioannes Baptiſta, Ioan. cap. 1. clamat: Parate viam Domini: rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. His vocibus, præceptis, & exemplis, alii corrigunt ſemetipſos, redeunt in viam: & poſtquàm redierint in viam, ſemper vbique exemplo matris Eccleſiæ tenent medium. Adde, quia & in hac cauſa indulgentiarum, omnibus Catholicis tenendum eſt medium. Nam Eccleſia, omnes, & ſingulas ſuperſtitiones, omnes & ſingulos prauos quæſtus, & abuſus, tanquam extrema per exceſſũ, ſemper vbique, ſed præcipuè in Sacroſancto Concilio Tridentino ſeuerè prohibet, punit, tollit, abrogat, damnat, & anathematizat. Et ex aduerſo aliam impietatem hæreticorum, quæ temerè, ſtultè, impiè, negat, blaſphemat, oppugnat, & perſequitur ſanctas indulgentias, eodem modo tanquam extremum per defectum punit, tollit, damnat, & anathematizat. Atque hoc pacto, ſancta mater Eccleſia, mediam viam tenendo, non ſolùm ipſamet indulgentiis benè, & legittimè vtitur; ſed etiam aliis, verum, proprium, & legittimum vſum indulgentiarum demonſtrat, & commendat. Et meritò ſanè, nam neque Heſperus, neq; Lucifer in cælo ita admirabilis, ſicut indulgentia pœnitentibus in Eccleſia Catholica: nam indulgentia conſcientiam hominis purgat, & ſerenam efficit: intellectum illuminat: voluntatem perficit: hominem infirmum, tanquam aqua in piſcina probatica, miniſterio angelorum ſanat: publicanos, & peccatores laſſatos in via iniquitatis ad Deum appropinquare facit: iram Dei auertit: omnes inimicitias, tam inter Deum & hominem, quàm inter angelos & homines componit, & aufert: concordiam introducit: diſcordantes reconciliat: ex prodigis & deſperatis, filios adoptiuos, & charos efficit:

efficit: miſeros, & perditos mortales, ad conſequendam & poßidendam æternam hæreditatem præparat, diſponit, aptos & idoneos reddit: in ſumma, ex inimicis, amicos dei efficit: ſi modò fortes in fide, doctrinæ præceptis, & conſiliis ſanctæ matris Eccleſiæ obtemperare, obſequi, & pro viribus ſatisfacere voluerint. Solem igitur de mundo tollere videntur, qui indulgentiam ex Eccleſia Catholica tollunt, qua nihil à Deo Opt. Max. melius habemus, nihil iucundius. nam ſi libertatis, profectò & indulgentiæ, vel ipſum nomen, eſt charum. Quæ verò eſt iſta hæreticorum iſtorum pœnitentiam cum indulgentiis contemnentium ſupina ſecuritas & ſpecie quidem blanda, ſed re ipſa ſemper vbiq; prudentibus virginibus repudianda. Quòd ſi laborem, et pœnitentiam fugimus, virtus, iuſtitia, indulgentia, et medicina ſpiritualis fugienda. Spernant igitur ſpernendi hæretici indulgentiam. Nos verò in Eccleſia Catholica, ſicut ceruus deſiderat vmbram: & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſicut egenus, et pauper in puluere expectat eleemoſynam, et pollutus communes aquas et balneas; ita & nos gementes, & flentes, dum ſumus in hac lachrymarum valle, ſanctam indulgentiam ſummopere expectamus, & deſideramus. Expectamus indulgentiam, quia peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Et propterea cum Chananæa clamamus: Miſerere noſtri Domine fili Dauid: Domine adiuua nos: fac nos participes indulgentiarum, vel ſaltim micarum, quæ cadunt de ſancta menſa tua. Matth. cap. 15. Et iterum cum filio prodigo: Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum ex mercenariis tuis: Luc. 15. Teneamus ergo indeclinabilem fidei confeßionem, & petamus à Deo indulgentiam: ſolus vnus eſt, qui ſine peccato natus eſt in ſimilitudine carnis peccati: ſine peccato vixit inter aliena peccata: ſine peccato mortuus eſt, propter noſtra peccata. non declinemus in dextram aut in ſiniſtram. In dextram enim declinare, eſt ſeipſum decipere, dicendo, ſe eſſe ſine peccato. In ſiniſtram autem, per neſcio quam peruerſam, atque prauam ſecuritatem, ſe tanquam impunè dare peccatis. Vias enim, quæ à dextris ſunt nouit Dominus, qui ſolus ſine peccato eſt, & noſtra poteſt delere peccata: peruerſæ autem ſunt, quæ à ſiniſtris

ſunt amicitiæ cum peccatis. Talis etiam illi viginti annorum adoleſcentuli figuram noui populi præmiſerunt, qui in terram promiſſionis intrârunt: qui nec in dextram, nec in ſiniſtram dicti ſunt declinaſſe. Non enim (inquit D. Auguſtinus, de peccatorum meritis, & remiſſione contra Pellagianos libro ſecundo, cap. trigeſimo quarto) ea viginti annorum ætas comparanda eſt innocentiæ paruulorum: ſed ni fallor, hic numerus myſticum aliquid adumbrat, & reſerat. Vetus enim Teſtamentum, in Quinq. Moyſi libris excellit: Nouum autem, quatuor Euangeliorum authoritate præfulget, qui numeri per ſe multiplicati ad vicenarium perueniunt. quater enim quini, vel quinquies quaterni, viginti ſunt. Talis populus vt prædixi eruditus in regno cælorum, per duo Teſtamenta vetus & nouum, non declinans in dextram ſuperba præſumptione iuſtitiæ, neque in ſiniſtram ſecura delectatione peccati, & deſperatione, in terram illius promiſſionis intrabit; vbi iam peccata vlterius nec nobis donanda optemus, nec in nobis punienda timeamus, ab illo redemptore liberati, qui non venundatus ſub peccato redemit Iſràël, ab omnibus iniquitatibus eius, ſiue propria cuiusque vita commiſſis, ſiue originaliter tractis. Et quia confitemur Vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: credamus quoq. & confiteamur ſacramentum pœnitentiæ in reparationem, reformationem, ſanctam methamorphoſim, & renouationem relapſorum: deinde agamus Deo gratias, pro theſauro redemptionis, pro indulgentiis ſanctis: & dicamus cum Propheta, Pſalmo centeſimo ſecundo: Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat (indulgentia) omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquila iuuentus tua. Et cum Zacharia, Luc. cap. 1. Benedictus Dominus Deus Iſràël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos, etc. Et cum ſancta Dei genitrice

nitrice virgine Maria. Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo, etc. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum, etc. Huic ergo, cuius miſericordia confirmata eſt ſuper nos, & cuius veritas manet in æternum, ſit laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen. Vale Lector, & pro me Deum ora. Cracouiæ, in Collegio maiori, Calendis Martij, Anno Domini, M. D. XCIII.

Ad Coloſ. Cap. 3.

INduite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis: ſi quis aduerſus aliquem habet quærelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti, exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis, in vno corpore, & grati eſtote.

Epigrammata.

BOETIVS LIBRI TERTII, METRO PRIMO.

Qui ſerere ingenuum volet, agrum
Liberat arua prius fruticibus,
Falce rubos, filicemq; reſecat;
Vt noua fruge grauis Ceres eat.
Dulcior eſt apum mage labor,
Si malus ora prius ſapor edat:
Gratius aſtra nitent, vbi Notbus
Deſinit imbriferos dare ſonos.
Lucifer, vt tenebras pepulerit,
Pulchra dies roſeos agit equos.
Tu quoq; falſa tuens, bona prius
Incipe colla iugo retrahere;
Vera dehinc animum ſubierint.

DANIEL SIGONIVS LELOVIENSIS, Pio Lectori.

Vt poſſis Stygias errorum vincere noctes,
Inq; viam viſa luce referre pedem;
Hæc firmo credas animo teneasq; per æuum
Dogmata, quæ ſacro promit ab ore liber,
Inſignis pietate viri ſudore paratus:
Dignus, qui lætos viuat agatq; dies.

EXPLI-

EXPLICATÆ HOC LIBRO CONTROVERSIÆ.

1. Circa primam Concluſionem ponitur & explicatur Controuerſia: Vtrum tota Lex vetus omninò ſit euacuata, abrogata, deſtructa & funditus ſublata: an aliquid remaneat ex lege?

Ibidem, circa Corollarium Tertium, de ſignis & miraculis, quę fieri ſolent ſuo tempore & loco in Eccleſia Catholica, præcipuè ſub Indulgentijs.

2. Circa ſecundam Concluſionem: Vtrum proximus pro peccatis proximi poſsit & debeat ſatisfacere?

3. Circa Quartam Concluſionem: Vtrum in veteri lege fuerunt Indulgentiæ?

4. Circa Quintam Concluſionem ponitur & explicatur controuerſia: Vtrum paſsiones, merita, & Satisfactiones Sanctorum, vnà cum Chriſto theſauriſent in Eccleſia theſaurum Indulgentiarum.

5. Circa Sextam Concluſionem: Vtrum ſolus Papa habeat poteſtatem concedendi Indulgentias? &c.

Item conciliantur loca ſacræ ſcripturæ.

Primus locus Prouerbiorum 26. Ne reſpondeas ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne efficiaris illi ſimilis: Reſponde ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.

Secundus locus Deutero. 22. & ad Galat. cap. 6. Vnusquiſq; onus ſuum portabit, & alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Tertius locus, ad Rom. cap. 8. Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Et 2. ad Corinth. 4. Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c.

Præterea probantur Indulgentiæ traditionibus, Authoritate ſacræ ſcripturæ, Sacris Concilijs, Teſtimonijs Sanctorum Patrum, & Rationibus.

Prouerb. 25.

AVFER RVBIGINEM DE ARGENTO: ET EGREDIETVR VAS PVRISSIMVM.

GENERALIS

QVÆSTIO.

VTRVM AD IVSTIFICATIONEM PECCATORIS CONCVRRANT, CONDVCANT, ET NECESSARIO REQVIRANTVR INDVLGENTIÆ?

CONCLVSIO PRIMA.

Catholici ſummo conſenſu credunt, confitentur, prędicant, & docent, Meſsiam, legiſlatorem, mediatorem Chriſtum Dominum, Indulgentias, vnâ cum Sacerdotio, Lege, Sacrificio, & benedictione, ex Synagoga, ad Eccleſiam tranſtuliſſe, reformaſſe, & perfeciſſe. ad Hebræ. capit. 7. & 8. Item redemptorem, & ſaluatorem eundem Chriſtum Dominum, indulgentiarum poteſtatem in Eccleſia reliquiſſe: atque vſum Indulgentiarum Chriſtiano populo ſummoperè neceſſarium, & maximè ſalutarem eſſe.

COROLLARIA.

1. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Meſsias, Legiſlator, & Mediator, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Indulgentias vnâ cum Sacerdotio, Lege, Sacrificio, & benedictione, ex Synagoga ad Eccleſiam tranſtulit, reformauit, & perfecit.

2. Indulgentiæ ſunt de fide: quia ad decimum articulum fidei, Credo remiſsionem peccatorum, reducuntur.

3. Sicut ſine fide impoſsibile eſt placere Deo; ita ſine fide impoſſibile eſt conſequi Indulgentiam, & remiſsionem peccatorum: quia Chriſtus Dominus Matth. cap. 9. dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

4. Credendum eſt omnes orationes Eccleſiæ, Eleemoſynas quoque, & opera iuſtitiæ, ſuccurrere recognoſcenti mortem ſuam ad conuerſionem,

CONCLVSIO SECVNDA.

Credendum eſt orationibus, ieiuniis, & eleemoſynis, proximum à proximo, non ſolùm in Eccleſia, verùmetiam in purgatorio, & præcipuè ſub indulgentia, iuuari: atque proximum pro peccatis proximi, Deo adiuuante, ſatisfacere poſſe.

COROLLARIA.

1. Nemo poteſt ſatisfacere Deo, niſi ſatisfecerit & proximo.
2. Satisfactio ſimpliciter paucorum eſt: ſed ſatisfactio ſecundùm quid, eſt communis.
3. Nemini deſperandũ de indulgentia, quicunq; in toto corde cõuerſus, contrito corde egerit pœnitentiam: quia nullum eſt pecatum, quod per veram pœnitentiã non deleatur; ſed pœnitendũ de omnibus.
4. Secundùm verbum & ſententiam Domini, cuicunque ſub Indulgentia plus dimittitur, ille plus debet diligere: nam cui minus dimittitur, minus diligit.

CONCLVSIO TERTIA.

Sicut alia media à Deo ordinata, ſunt neceſſaria ad iuſtificationem; ita & indulgentię.

COROLLARIA.

1. Vota, peregrinationes, offertoria, & alia ſpiritualis vitæ exercitia commendat ſacra ſcriptura: nam per huiuſmodi exercitia, homines vt plurimùm conſequuntur indulgentiam & iuſtificationem.
2. Qui peregrinantur, debent peregrinari nõ in feruore, qui ſit ad tentationem; ſed communicantes Chriſti paſsionibus. 1. Pet. 4.
3. Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato: neq; improperes ei: memento quoniam omnes in corruptione ſumus. Eccl. 8.

CONCLVSIO QVARTA.

Quamùis Indulgentiarum nomen, non ita frequenter lega-

legatur in Scripturis; res tamen ab origine mundi ſemper adhuc fuit in vſu.

COROLLARIA.

1. Indulgentiarum vſus in Eccleſia non eſt res noua, vt falsò credunt hęretici: quia ſicut in lege ſub Moyſe, Sacerdotibus, & Prophetis Iudęi ſuo modo neceſſariò Indulgentijs vtebãtur; ita in Euangelio ſub Petro, Apoſtolis, & ſucceſſoribus Petri, per traditionem vſque adhuc Chriſtiani Indulgentijs neceſſariò vtuntur.

2. Moyſes in paſsione & improperijs Chriſti maiores æſtimauit repoſitas diuitias; quàm in theſauro Ægyptiorũ: & propterea, vt eſſet particeps promiſsionũ & Indulgentiarum, magis eligebat affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucũditatem. ad Heb. 11.

3. Quoniam paſsio Chriſti, hoc egit implenda ſeu futura, quod iam facit impleta atq; præterita; propterea Fides & Indulgentiæ, tam veteris quàm Noui teſtamenti, ſubiecto ſunt eædem; ſed ratione differunt. D. Auguſtinus.

4. Quia Indulgentiæ veteris teſtamenti, figura & vmbra fuerunt Indulgentiarum Noui teſtamenti: itaq; ſcripturæ, quæ leguntur de Iubileis & Indulgentijs veteris teſtamenti, ſunt priuilegia Iubileorum & Indulgentiarum Noui teſtamenti.

5. Vel ſola traditio Sanctorum Patrum, poſſeſsio, & perpetuus vſusfructus Indulgentiarum in Eccleſia Catholica, benè, legittimè, & ſufficienter probant, & confirmant cauſam Indulgentiarum contra hæreticos.

6. Vbicunq; in ſacris Concilijs, & Canonibus hiſtoria Indulgentiarum habetur; inducitur non tanquam noua inſtitutio; ſed tanquam memoria rei antiquæ.

7. Sicut morbus & medicina ſunt ſimul naturà: ita peccatum & Indulgentia ſimul naturà.

8. Indulgentiæ in ſtationibus Romę à B. Gregorio ſunt inſtitutæ.

9. Non eſſe laborandum de nomine, quando de re conſtat.

10. Quòd ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt; multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ. 2. ad Corinth. cap. 3. & Exod. cap. 34.

CONCLVSIO QVINTA.

Ex ſuperabūdatia ſatisfactionum, ſupererogationum, paſsionum, & meritorum Meſsiæ, mediatoris, redemptoris, & ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, Beatę Dei genitricis virginis Mariæ, & omnium electorum, à primo iuſto, vſq; ad vltimum, hoc eſt Capitis, & membrorũ, ſicut Synagoga, ita Eccleſia Catholica habet cæleſtem theſaurum indulgentiarum.

COROLLARIA.

1. Vniuerſalis Indulgentia incipiendo ab Hieroſolyma, & inde ab Eccleſia ſancta Romana, in omnem terram, & in fines orbis terræ, per omnes & ſingulas Eccleſiæ Catholicæ partes, exit, manat, ac fundatur, ſicut fluuius Paradyſi, qui irrigat terram: ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Pſalm 132. Oſeæ 14. Lucæ. 24.

2. Chriſtus peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis. 1. Pet. 2.

3. Beata Dei genitrix virgo Maria, cùm ſæpè aliâs, tum in hora paſsionis Chriſti theſaurum Indulgentiarum Eccleſiæ theſaurizauit, quando gladius doloris animam eius pertranſiuit. Lucæ 2.

4. Sancti, theſauro redemptionis & Indulgentiarum ita vtebantur; vt etiam ipſi aliquid apponerent, non ſolùm propter præceptum & exemplum Chriſti; verùmetiam quia non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. 2. ad Corinth. 12.

5. Hæc duo non pugnant, nempe, Non eſſe condignas paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ad Ro. 8. & tamen fieri poſſe per adiutorium gratiæ Dei, vt poſsint inueniri paſsiones condignæ: quia ſcriptum eſt, id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Corinth. cap. 4.

6. Sancta mater Eccleſia Catholica eſt fidelis depoſiti theſauri Indulgentiarum teſtis & cuſtos: nam ab immemorabili tempore ita Indulgentijs vtitur; vt & ipſa ſuis meritis promoueat filios ad indulgentiam, &

tiam, & iuſtificationem, tanquam Rebecca Iacobum filium ad benedictionem. Gene 27.

7. Deus, ſicut contra peccatum originale procurauit, ordinauit, & dedit circumciſionem, & fontem Baptiſmi; ita contra peccata actualia procurauit, ordinauit, & dedit pœnitentiam, abſolutionem, ſatisfactionem, & fontem Indulgentiarum.

8. Deus vult vt peccatores adulti per aliqua officia pœnalia fiant participes Iudulgentiarum.

9. Neceſſe eſt ſub Indulgentijs maiore patientia, iuſtitia, & humilitate portare crucem, & non dimittere iniunctas pœnitentias: tum quia ſcriptum eſt Eccl. cap. 5. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu, & ne adijcias peccatum ſuper peccatum: tum quia in multis offendimus omnes, Iac. 3. tum quia ſatisfactionis opera ſunt prȩſeruatiua à futuris peccatis, teſte D. Thoma.

10. Indulgentiæ ſupplent vicem ſatisfactionis, vt eſt ſatisfactio punitiua, non vt eſt medicatiua. D. Thomas.

11. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiam conſequutus ſum; vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem pœnitentiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. 1. ad Timoth. 1.

CONCLVSIO SEXTA.

Solus Papa, cui primò & principaliter diſpenſatio vnâ cum clauibus credita & tradita eſt, habet plenariam poteſtatem dandi indulgentias: Concilium autem, Legati, Epiſcopi, Commiſſarii, & alii, ſecundùm taxationem & diſpenſationem eius. D. Thom.

COROLLARIA.

1. Theſaurus Eccleſiæ non eſt diuiſus in Eccleſia, ſed eſt vnus & indiuiſus in tota Eccleſia: ideoq; ad vnum & primum caput Eccleſiæ, hoc eſt, ad Papam potiſſimùm ſpectat eius diſpenſatio; Epiſcopis verò competit, tanquam coadiutoribus ſummi Pontificis, qui in partem ſolicitudinis Eccleſiæ gubernandæ ſunt aſſumpti.

2. Solus Petrus Romanus claudit & aperit, regna cȩlorum; alij ve-

 rò ab eo

rò ab eo miſsi,claudunt & aperiunt regnum cęlorum. Orig. ſup. Mat.

3. Oecumenicum generale Concilium,legittimè cum authoritate conſenſu Summi Pontificis in Spiritu Sancto congregatum, habet plenam iurisdictionem Indulgentias concedendi. ſed capitulum Cathedralis Eccleſię ſede vacante,non habet authoritatem dandi Indulgentias: quia eſt poteſtas Epiſcopalis.

4. Indulgentiæ dantur extra ſacramenta: quia pertinent ad clauem iurisdictionis.

5. Nullus poteſt ſibi ſoli dare indulgentiam; ſed poteſt vti ea quã dat pro alijs.

6. Homo per ſe cadere poteſt; ſed ſine gratia Dei reſurgere non poteſt, contra Pelagium.

7. Diſpenſatores indulgentiarum,quia redemptionis theſaurum diſpenſant, & mediatoris officio funguntur, debent exemplo mediatoris ſui capitis Chriſti medium tenere: non debent eſſe nimium ſeueri propter infirmos, neq; nimium faciles propter diſcolos & inquietos, ne diſciplina Eccleſiaſtica eneruetur.

8. Apud liberalem Dominum,diſpenſator non debet eſſe parcus. D. Chriſoſtomus.

9. Indulgentiæ non dantur pro temporalibus ſecundùm ſe; ſed vt temporalia ordinantur ad ſpiritualia: ideò non eſt Symonia.

10. Indulgentię non menſurantur ſecundùm deuotionem, vel laborem recipientis, aut ſecundùm quantitatẽ dati,aut ſecundùm cauſam pro qua dantur; ſed ſecundùm intentionem dantis.

11. Indulgentiæ datæ ab exiſtenti in mortali peccato, tantum valent, quantum à ſanctiſsimo, cùm non remittat ex vi ſuorum meritorum; ſed ex vi meritorum depoſitorum, creditorum,& reconditorum in theſauro Eccleſiæ.

12. Cùm indulgentiarum beneficium opus ſit gratiæ diuinæ, nihil niſi Dei amicis valere poteſt: vnde ſequitur,quia indulgentiæ non valent exiſtenti in mortali peccato propter obicem.

CONCLVSIO SEPTIMA.

Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant: ſi adſit authoritas dantis, charitas recipientis, & rationabilis,iuſta, & pia cauſa.

COROLLARIA.

Prædi-

1. Prædicatores nunquam debent aſſertiuè publicare indulgentias; ſed recitatiuè, vel opinatiuè; ne falſas prædicent,& alios in errorem inducant.

2. Forma indulgentiarum niſi ad iniunctas, vel nō iniunctas pœnitentias coarctetur, vniuerſim de omnibus intelligitur, idque quantùm ad pœnas temporales, quæ vel hîc, vel in purgatorio ſunt nobis decretæ.

3. Antiquitus in more fuit, indulgentias nō niſi de iniunctis pœnitentijs coferri; non tamen lata eſt lex, ne de alijs conferantur; quoniam nullibi talis lex eſt ſcripta.

4. Eccleſia nunc non modò de iniunctis; ſed abſolutè de omnibus pœnis indulgētias tribuit, abſq; vlla iniunctarum pœnitentiarum mentione.

5. Qualitatem commendat numerus.

6. Spirituum ponderator eſt Dominus. Prouerb. 16.

7. Conſilium ſolum & ſanum, quod abſque curioſa diſcuſsione de præciſa,vel euidenti & certa quantificatione,ſeu menſuratione indulgentiarum ſtudeat homo prius, ſecundùm poſsibilitatem ſuam, & qualitatem deuotionis ſuæ tales acquirere, pondus autem valoris illi relinquere, qui omnia fecit, & facit in numero, pondere, & menſura. Sapient. 11.

8. Melius eſt meritum & præmium in infinitum, quàm quæcunque indulgentiæ.

9. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Pſalm. 31.

CONCLVSIO OCTAVA.

Catholici ſummo conſenſu credunt, confitentur, affirmant, & docent, Chriſtum Dominum, Beato Petro clauigero, & eius ſucceſſoribus, theſaurum Eccleſię reliquiſſe & cōmiſiſſe, ſalubriter fidelibus dispenſandum, & pro piis & rationalibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſsione pœnę temporalis pro peccatis debitę, tam generaliter, quàm ſpecialiter, verè pœnitentibus, & confeſsis, miſericorditer applicandum.

COROLLARIA.

1. Catholici credunt, cofitentur, & docent,in confeſsione debita pœnitentis,& ordinata ac legittima abſolutione ſacerdotis,pœnam æternam cum culpa remitti;ſed temporalem pœnam ſæpè remanere.

2. Sententia ſacerdotis, qua hominem vel ſoluit ad gratiam, vel ligat ad pœnam, rata eſt apud Deum.

3. Spontanea pœnitentia huius ſæculi,plus valet ad remiſsionem pœnę,quàm æqualis in purgatorio,& hoc intelligitur cęteris paribus.

4. Pœnam temporalem intelligimus, tum in præſenti vita, tum in futura, ſiue in purgatorio. ſed pœna alterius vitæ, propriè peccatis omnibus & ex condigno debetur; pœna autem huius vitæ ſolùm ex congruo certis peccatis à Deo infligi ſolet.

5. Pœna purgatorij acerbior eſt, quàm aliqua quæ ſit in hac vita.

6. Reatum pœnę temporalis, qui interdum remanet poſt reconciliationem cum Deo, bonis operibus redimi poſſe: & per laborioſa opera, quæ etiam ſpontè ſuſcipiuntur, per partes minui & expiari.

7. Quamùis aliena ſatisfactione poteſt pœna temporalis remitti; tamen indignus aliena ſatisfactione pro pœna ſibi debita, non conſequitur veraciter fructum indulgentiæ.

8. Quanquam Deus & Eccleſia,fingit laborem in præcepto Pſal. 93. tamen omnia poſsibilia ſunt credenti. Marc. 9.

CONCLVSIO NONA.

Quia actus actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito; idcirco, quantò quis melius ſe præparat, & diſponit ad indulgentiam; tantò maiorem acquirit & reportat indulgentiarum gratiam.

COROLLARIA.

1. Sincerum eſt, niſi vas quodcunque infundis aceſcit.

2. Non modò ceſſatio à peccatis, & eorum deteſtatio, cor contritum & humiliatum, fides, ſpes, charitas; verùmetiam timor Dei, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia, patientia,confeſsio, abſolutio, ſatisfactio, oratio, ieiunium, eleemoſyna, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, vtiliter pręparant & diſponunt hominem ad indulgentiam, & fideliter præſeruant à futuris peccatis.

3. Pars eſt ſatisfactionis, Charitas erga Deum & proximũ: ſignum autem charitatis erga proximum, Si tu diſſoluas colligationes impietatis, ſoluas faſciculos deprimentes, & vbi iniqua eſt cautio, vbi iniqua chirographa, vbi opprimuntur pauperes calumnia; ibi faſciculi cautionum, & omnia iniquitatis vincula ſunt rumpenda: quia facere miſericordiam & iudiciũ magis placet Deo quàm victimæ. Prouer. 21.

4. Qui quęrit & petit indulgentiam in Eccleſia, ſi quod habet odium erga proximum, abijciat, abijciat iram, vindictam, malitiam, & eat prius reconcilietur proximo ſuo; & tunc veniens, quærat, pulſet, & petat in Eccleſia indulgentiam: quia ſcriptum eſt Eccl. 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit pro delictis illius? memento nouiſsimorũ, & deſine inimicari.

5. Extra Eccleſiam Catholicam, nulla pœnitentia, nullus iubileus, nulla indulgentia, nulla peccatorum remiſsio, nulla ſalus.

6. Tentat Chriſtum, qui ſub indulgentia non indulgentia, ſed plagis & carcere digna committunt.

7. Ad euitanda ſcandala, vt non vituperetur miniſterium Eccleſiæ, Sacroſanctum Tridentinum Concilium, omnes & ſingulos abuſus circa indulgentias, vt ſunt praui quæſtus, ſuperſtitiones, ignorantię, & irreuerẽtię, ſub anathemate prohibet, abrogat, tollit, & damnat.

8. Fidelem & prudentem Chriſtianum, abuſus non poſſunt nec debent ſcandalizare: quoniam pax multa diligentibus legem Dei, & Eccleſiæ indulgentias, & non eſt illis ſcandalum. Pſalm. 118.

9. Sacroſanctum Concilium Tridentinum generali decreto decreuit, ordinauit, & mandauit, vt loci ordinarij omnes & ſingulos abuſus circa indulgentias deferant: & vt ſancta ſedes Apoſtolica, eoſdem abuſus corrigat & emendet; ne hoc inſigne & ſanctum nomen indulgentiarum ab hæreticis blaſphemetur.

10. Hæretici, qui indulgentias negant, blaſphemant, & oppugnant, toto cælo errant neſcientes ſcripturas: de fide ſine fide diſputant: cœci ſunt & duces cœcorum: qui non ſolùm alijs & ſibi iniuriam faciunt; ſed etiam ore ſuo ſe indulgentia, gratia, & auxilio Dei indignos, & pœna dignos iudicant & condẽmnant: homines alioqui miſeri & infirmi cùm ſint; tamen cum ſuperbis Phariſæis, Scribis, & Pelagianis, medicum cum medicina, tanquam inſani contemnunt, ſpernũt, & conculcant: inimici crucis Chriſti, principia religionis, contra conſcientiam, contra ſenſum & conſenſum omnium fidelium, impuden-

pudentiſsimè negant: tenebras pro luce, lutum & ſordes pro fonte & lauacro, maledictionem pro benedictione, carcerem pro luce publica ſtultiſsimè & iniquiſsimè peruerſi eligunt: neſciunt de quibus affirmẽt, vel negent. & ideò metas contradictionis ipſi manifeſtè incurrunt; & iam rei contradictionis publicè tenentur, quia remiſsionem peccatorũ ponunt, & indulgentias negant. Vę illis, qui in contradictione Chorę perierunt. Ergo iuſtè à Synodo Tridentina anathematizantur.

11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc. Apocal. 22.

12. Infinitus & indiuiſus eſt theſaurus indulgentiarum: quo, qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Sapient. cap. 7.

13. Nemo vnquam Catholicus pro indulgẽtia & remiſsione peccatorum (magis quàm gentiles pro aris & focis, pro Repub. & libertate) mortem oppetere dubitauit.

14. QVÆSTIO CVM SVIS CONCLVSIONIBVS ET COROLLARIIS ad intentionem & Canonem ſacræ ſcripturæ, iuxta definitionem ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ, ſecundùm ſenſum & conſenſum ſanctorum Patrum, eſt vera, & non niſi catholicè defendenda.

GENERALIS CONTROVERSIA DE INDVLGENTIIS.

Vtrum ad iuſtificationem peccatoris, concurrant, conducant, & neceſſariò requirantur Indulgentię.

ET VIDETVR QVÒD NON: quia Scribę, & Phariſæi in Euangelio Matth. Cap. 9. Lucę 1⁊. &c. contradicunt Chriſto vnâ cum Indulgentiis.

Item, NOVATIANI HAERETICI, in peccatum prolapſis, & ad Eccleſiam lachrymis, gemitu, & dolore cordis, (vt Diui Cypriani verbis vtar) pulſantibus, diuinę pietatis, & bonitatis paternę ſolatia, & ſubſidia claudebant: nec ad fouenda vulnera admittebant vulneratos; ſed ſine ſpe pacis, & communicationis relictos, ad luporum rapinam, & diaboli prædam proijciebant.

Iſti ad ſuam hæreſim ſcripturis abutebantur. Eccls. ca. 7. vbi legitur ſic: *Conſidera opera Dei: quòd nemo poßit corrigere, quem ille deſpexerit.*

Item, Ieremiæ cap. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam: aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.*

Item, Malach. ca. 1. & ad Ro. 9. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Item, ad Hebr. ca. 6. *Impoßibile enim eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.*

Item, ad Hebr. 12. *Ne quis fornicator, aut prophanus vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua. Scitote enim quoniam & poſtea*

cupiens

cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.

Et, 1. Ioan. cap. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem.*

Item, VALDENSES aſſerunt Papam nullam prorſus habere poteſtatem indulgentias concedendi: quas ſi conceſſerit, dicunt eſſe nullius virtutis.

Item, IOANNES WICLEFF, qui nunquam à Valdenſibus deficit, Quadrageſimo primo Articulo dicit: Fatuum eſt credere Indulgentias Papæ, & Epiſcoporum.

Item, IOANNES VESTPHALVS, eandem tenet & tutatur hæreſim.

Item, MARTINVS LVTHERVS aſſerit, indulgentias nullius eſſe momenti, & dicit eas eſſe pias fraudes fidelium.

Ad hæc hæretici Lutherani contra Indulgentias arguunt ſic.

PRIMA RATIO, Scriptum eſt, quia Deus eſt qui iuſtificat: Ergo nulla indulgentia ad iuſtificationem neceſſaria.

CONSEQVENTIA ab authoritate.

ANTECEDENS, ad Romanos capite octauo.

SOLVTIO. Negatur conſequentia: tum quia in alio ſenſu dicit S. Apoſtolus illa verba, & in alio accipiunt & malè intelligunt hæretici: tum quia Deo iuſtificanti non aduerſantur; ſed ſubſeruiunt indulgentiæ, tanquam media à Deo ordinata, & tanquam inſtrumenta proprio artifici. Nam Deus quando via ordinaria iuſtificat, tum per media ordinata iuſtificat, inter quæ numerantur Indulgentiæ.

SECVNDA RATIO. Sola fides iuſtificat: ergo non Indulgentiæ.

CONSEQVENTIA à diuerſis.

ANTECEDENS, Abacuc 2. ad Rom. cap. 3. & ad Galat. 3. Deus ex fide iuſtificat gentes.

SOLVTIO. Non valet conſequentia: tum quia in ſcripturis *Fides iuſtificat* legitur, ſed *ſola fides iuſtificat* non legitur: tum quia fides cum indulgentia concurrunt ad iuſtificationem, tantum abeſt vt ſe mutuo excludant, aut repugnent.

TERTIA RATIO. In Euangelio non legitur alia poteſtas remit-

remittendi peccata, niſi illa Ioann. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. &c. ſed illa poteſtas ſolùm intelligitur de remiſsione, quæ fit in ſacramento Pœnitentiæ, relaxatio autem per Indulgentias fit extra ſacramentum: ergo illa non legitur in Euangelio. MAIOR nota.

MINOR probatur: quia peccatum extra ſacramentum remittere ſeu quò ad culpã, ſeu quò ad pœnam, eſt poteſtatis excellentiæ, quam Chriſtus habuit & nulli commiſit: ergo id Eccleſia facere non poteſt.

PRIMA SOLVTIO. Ad hoc argumentum reſpondet S. Thomas ſuper 4. Diſtinct. 20. Articul. 3. quòd effectus ſacramentalis abſolutionis eſt minuere pœnam peccato debitam; ſed tamen extra ſacramentum per Indulgentias non eſt pœnam dimittere aut diminuere, ſed ſoluere: nam qui indulgentiam confert, applicat theſaurum Eccleſiæ, quo ſuſcipiens pœnam ſoluit: tenere enim videtur quòd collatio indulgentiarum non eſt abſolutio à pœna, ſed potius ſolutio.

SECVNDA SOLVTIO. Ad maiorem reſpondetur, quòd remittere peccata quòad culpam, alligatum eſt ſacramẽtis; ſed non quòad pœnam: quia ipſa ſine nouæ gratiæ infuſione ſolubilis non eſt.

TERTIA SOLVTIO. Negatur Conſequentia: quia poteſtas remittendi peccata per indulgentias, legitur Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunq, ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq, ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

QVARTA RATIO. Vbi eſt indulgentia ibi debet eſſe recõciliatio & pro peccatis ſatisfactio. ſed nulla poteſt pro peccatis à peccatore fieri ſatisfactio: igitur nulla eſt reconciliatio & Indulgentia. MAIOR, ſecundùm communem legem iuſtitiæ.

MINOR. Quodnam æquiualens offeret homo Deo ſuo pro peccato? nullum. Adde, quia nuſquam legitur in ſcripturis verbum *Satisfactio*: igitur nulla eſt Satisfactio.

CONSEQVENTIA Quia non licet aliquid in Eccleſiam introducere, quod non ſit expreſsè poſitum in ſcripturis: quia ſcriptum eſt, *Non addes, non minues.* Apocalip. 22.

ANTECEDENS eſt notum, & patet legenti ſcripturas.

PRIMA SOLVTIO. Negatur conſequentia: pro cuius rei euidentia notandum: quia æquiualentis æquiualentia aliquorum ad inuicem multipliciter dicitur. nam interdum reſpicit valorem rerum naturalium, quæ quantitatem mollis vel virtutis conſequitur; veluti ſunt res diuerſarum ſpecierum, quæ ſicut naturali perfectione, ita etiam valo-

ris diuerſitate diſtinguitur: atque ita inter huiuſmodi res ſpecie differentes nulla poteſt eſſe æquiualentia. 2. ALIO MODO. æquiualentia reſpicit commodum humanæ ſocietatis, vt videre eſt in commutationibus rerum,& ſic non eſt ad propoſitum: quia peccatum ad commodum humanæ vitæ referri non poteſt. 3. ALIO MODO. reſpicit dictamen iuſtitiæ diſtributiuæ,pro qualitate cuiusque operis præmia,vel pœnas decernentis: & hoc quidem dupliciter:aut ſecundùm rigorem ſtrictiſsimæ iuſtitiæ; ita vt lex iuſta nihil demere poſsit in præmijs, nec addere in pœnis, & hoc modo nulla actio præſentis vitæ poteſt reddere æquiualens pro peccato quo læditur Deus, qui eſt bonum infinitum:propterea nulla pœna poteſt eſſe ita mala,quantum malum eſt Dei offenſa. AVT ſecundùm voluntariam acceptionem illius,cui redditio æquiualentis erit facienda: & ſic accipitur ſatisfactio noſtra ſecundùm liberaliſsimam Dei acceptionem.

4. ADDE, quia ſatisfactio Chriſti vt eſt ſuppoſitum, eſt infinita, & noſtra ſatisfactio innititur ſatisfactioni Chriſti: ergo ſic Deo eſt acceptabilis,& quodammodo ęquiualēs. Porrò,ſi quis velit humanę naturæ vires ita defendere,vt dicat,ſicut homo ſpontè cecidit,ita etiā ſpontè poteſt reſurgere & ſatisfacere,nō procul aberit ab hęreſi Pelagiana.

SECVNDA SOLVTIO. Non valet conſequentia: tum quia ex purè negatiuis nihil concluditur: tum, quia teſte Ariſtotele,plures ſunt res quàm verba: tum quia Antecedens eſt falſum.nam verbum ſatisfactionis expreſsè legitur, Leuit. cap. 10. Actu. 17. 1. Pet. 3. Sed & in alijs multis ſcripturæ locis facilè poteſt inueniri,ſi non expreſsè,tamen implicitè ſatisfactio.

TERTIA SOLVTIO. Ad minorem dico, licèt homo non poteſt pro peccato ſatisfacere Deo ſimpliciter; poteſt tamen ſecundùm quid.

QVINTA RATIO. Miniſtris Eccleſiæ non eſt tradita poteſtas à Deo ad deſtructionem,ſed ad ędificationem. 2. Corinth. 13. ſed poteſtas largiendi,ſeu concedendi indulgentias eſt huiusmodi: deſtruit enim ſatiſfactionem, & dignos fructus pœnitentiæ,qui plurimum proſunt pœnitentibus: ergo indulgentię non ſunt neceſſariæ. MAIOR vera. MINOR nota.

SOLVTIO. Negatur conſequentia: quia indulgentiæ ſi modò legitimè & ordinatè fuerint conceſſæ, & in charitate, corde contrito ſuſceptæ, non deſtruunt,ſed ædificant:quia hominem ex faucibus diaboli liberant, eripiunt, & conſeruant; tum ad amicitiam & gratiam Dei pœnitentes promouent.Signum eſt,quia multi publicè confitentur ſub indulgentijs in Eccleſia ſe tantum beneficij accepiſſe ſenſibiliter, ac ſi quis ſarcinarum onus ex eis depoſuiſſet. SEX-

SEXTA RATIO. Quidquid eneruat & funditus euertit Eccleſiaſticam diſciplinam; illud ad iuſtificationem & iuſtitiam non eſt neceſſarium. ſed indulgentia eneruat & funditus euertit Eccleſiaſticam diſciplinam: ergo indulgentia ad iuſtitiam & iuſtificationem non eſt neceſſaria.

Maior à repugnantibus.

Minor probatur. Cùm enim homines à pœnis temporalibus per indulgentias ſe credunt abſolutos;nō ſolùm pietatis opera negligunt; ſed ſine timore Dei, ſine pudore hominum perpetrant mala, iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 8. *Etenim, quia non profertur citò contra malos ſententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala.*

Solvtio. Negatur conſequentia: quia alia intentione largitur Eccleſia indulgentias: nam ad ædificationem, non ad deſtructionem. Vnde Innocentius de Pœnitentia & remiſsione cap. Cùm ex eo prudentes, inquit, viri tantum abſunt ab hoc crimine; vt nihil magis ad bonorum operum culturam internamq; animi pietatem alliciat. Etenim pia mater Eccleſia largitione indulgentiarum, pios filios ſuos feruentiores reddit, errantes reuocat, deſides excitat, otioſos animat, deſperatos confortat, deniq; omnes filios ſuos armat, lætificat, & munit. Bonorum ergo, & non malorum indulgentiarum, largitio mater eſt & origo, qua fides creſcit, ſpes nutritur, charitas augetur, conſcientia purgatur, totius pópuli Chriſtiani deuotio feruet, pietas propagatur, mali beneficio non pœna ad officium & diſciplinam reformantur & reducuntur, ſacramenta frequentantur, morbi curantur, & omnia bona fidelibus pariter cum indulgentia veniunt. Ergo, qui ſanctis indulgentijs derogant, ipſi profectò diſciplinam Eccleſiaſticam eneruant, & ſine cauſa Eccleſian Catholicam calumniantur: ſed proprium eſt hæreticis benefacta Eccleſię ſanctæ in malam partem interpretari, aliena curare, ſuorum obliuiſci.

SEPTIMA RATIO Paganorum ex D. Auguſtino. Quidquid in Repub. eneruat & extinguit diſciplinam, & bonos mores corrumpit, illud ad iuſtitiam & iuſtificationem non eſt neceſſarium. ſed indulgentia in Republica eneruat & extinguit diſciplinam, & bonos mores corrumpit: igitur indulgentia neq; ad iuſtificationem, neq; ad iuſtitiam eſt neceſſaria.

Maior à repugnantibus.

Minor eſt Terentij in Heautontimorumenon Act. 3. Sce. 1. vbi ſenex quidam Chremes dicit: *Nam deteriores omnes ſumus licentia.*

SOLVTIO huius argumenti legitur apud D. Auguſtinum ſuper Pſalmum centeſimum primum, vbi dicit ſic: *Hodieq́; Paganorum opprobrium quale in nos eſt? Quid putatis fratres, quid eos putatis dicere nobis? Vos corrupiſtis diſciplinam, moresq́; generis humani peruertitis. Quid inueheris? Dic, quamobrem? Quid fecimus? Dando, inquit, hominibus pœnitentiæ locum, promittendo impunitatem omnium delictorum: ideò homines malè faciunt ſecuri: quòd eis cùm conuerſi fuerint, omnia dimittuntur. Hinc ergo opprobrium: quoniam cinerem ſicut panem manducaui, & potum meum cum fletu miſcebam. O qui inſultas, inuito te ad iſtum panem. Non enim audes te dicere non eſſe peccatorem. Diſcute conſcientiam tuam: aſcende tribunal mentis tuæ: noli tibi parcere: examina te: loquatur tibi medulla cordis: vide vtrũ audeas innocentiam profiteri. Hic planè, ſi ſe reſpexerit, conturbabitur: ſi ſe non palpauerit, confitebitur. Et quid agis miſer, ſi nõ erit portus impunitatis? ſi ſola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum eſt indulgentia, vbi eris? quo ibis? Certè & pro te factum eſt, vt pauper iſte cinerem ſicut panẽ manducaret, & potum ſuũ cum fletu miſceret: non te iam delectat tale conuiuium? Sed tamen, inquit, augent homines peccata ſpe veniæ: imò augent peccata deſperatione veniæ. Nõnne attendis, quàm licentioſa crudelitate viuant gladiatores? vnde hoc? niſi iam tanquam ad ferrum & victimam deſtinati explere volunt libidinem, antèquam fundant ſanguinem. Nõnne hoc & tu tibi diceres: iam peccator ſum, iam iniquus, iam damnandus, nulla veniæ ſpes eſt; cur iam nõ faciam quidquid libet, etſi non licet? cur non impleam quantum poſſum, quæcunq; deſidero; ſi poſt hæc non reſtant niſi ſola tormenta? Nõnne hoc tibi diceres, & deſperatione ipſa peior fieres? Potius ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit Iſaiæ 46. Ezech. 18. Redite præuaricatores ad cor: nolo mortem impij, tantùm vt reuertatur & viuat. Hoc proculdubiò portu propoſito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iuſtitiam, & ſperas vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi diſplicet Deus, tanquam per iſtam indulgentiæ promiſſionem ſecuros fecerit peccatores. Etenim, ne deſperatione homines peius viuerent, promiſit indulgentiæ portum: rurſus, ne ſpe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum, prouidentiſſimè vtrumque conſtituens, & reuertentes quò recipiantur, & differentes vnde terreantur. Manduca cinerem velut panem, fletum tuum cum potu miſce: per hoc conuiuium venies ad menſam Dei. Noli deſperare, promiſſa eſt indulgentia tibi. Deo gratias, inquit, quia promiſſa eſt: teneo promiſſum Dei. Ergo iam benè viue. Cras, inquis, benè viuam. Indulgentiam tibi Deus promiſit, craſtinum diem tibi non promiſit: ſi malè vixiſti, benè viue iam hodie: Stulte, hac nocte auferetur à te anima tua, Luc. 12. non dico, quæ paraſti, cuius erunt? ſed ſecundùm quòd vixiſti, vbi eris? Corrige ergo te, vt poſſis in corpore Chriſti habe-*

ſti habere vocem iſtam, quam niſi fallor libenter agnoſcis: Quoniam cinerem ſicut panem manducaui, & potum meum cum fletu miſcebam. Hæc D. Auguſtinus.

SECVNDA SOLVTIO. Negatur conſequentia: nam datur inſtantia ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius.*

OCTAVA RATIO. Quæ diuina ſunt ordinata voluntate, nemo mortalium impedire, auertere, ſeu peruertere poteſt. ſed pœnas Deus in peccatores ſtatuit: ergo pœnas à Deo ſtatutas in peccatores mortalium nemo impedire, auertere, nemo peruertere, aut euadere poteſt. MAIOR. Act. ca. 5.

MINOR multipliciter patet in ſcripturis.

SOLVTIO. Pœnarum genus duplex eſt. Vnum quidem medicinale præſeruatiuum, quo ſanè quidam præſeruantur, ne maculent veſtimenta ſua, ſicut licet videre in flagellis pœniſq; Iob Prophetæ, & cœcitate Thobiæ: qui, cùm Deo acceptiſsimi eſſent, grauiſsimis tamen pœnis ſunt affecti. Aliud verò ſatisfactorium, cuiuſmodi in Dauid perſequutionibus & afflictionibus conſpicitur. Itaq; pœnas medicinales, quę augendi meriti, vel cauendi peccati cauſa à Deo immittuntur, nos impedire non poſſumus, nec debemus: ſatisfactorias autem, proprijs vel alienis laboribus, qui habentur & acceptantur à Deo, ac ſi proprij eſſent, propter communionem, coniunctionem, & vinculum charitatis, ſoluere poſſumus. In quo ſanè Domino Deo noſtro plurimùm placemus, tantùm abeſt, vt aliquã Dei offenſam incurramus. Ięſæ namq; diuinæ iuſtitiæ pro poſsibilitate noſtra ſatisfit, & à Deo Opt. Max. in recompenſationẽ acceptatur: alioqui ſi pœnas diuinitùs nobis decretas impedire non poſſumus; quomodo vera erit illa ſententia Iſaię. 39. qua alloquutus eſt Regem Ezechiam: *Morieris tu, & non viues?* Iam decreta erat Ezechiæ pœna mortis, quam tamen ſanctarum precum feruore, & lachrymarum profluuio placaſſe, & auertiſſe ſcriptura commemorat. Denique, ſi ita ſe res haberet, fruſtrà quotidie precaremur: *Dimitte nobis debita noſtra*: quia iam pœna nobis eſt decreta, quam mutare non valemus, quod eſt falſum, ne dicam impium.

NONA RATIO. Si homines abſoluerent à pœna indulgentiæ; vel à pœna inferni, vel à pœna purgatorij, vel á pœna flagelli

Dei, vel à pœna, quam ſponte & voluntariè ſubit peccator. ſed nihil horum eſt dicendum: igitur indulgentiæ non abſoluunt homines à pœnis.

SEQVELA à ſufficienti partium, ſeu ſpecierum enumeratione.

MINOR probatur pro omnibus partibus: nam pœna inferni recompenſationem non recipit. Pœna purgatorij eſt ſecundùm iuſtitiæ ordinem prçfixa & determinata, quam aliter ſoluere non licet. Pœna, quç vocatur flagellum Dei, à Deo immediatè infligitur, & humano nõ ſubiacet conſilio & iudicio. Pœnam, quam vltrò, ſpontè, & voluntariè ſubit peccator, *Quoniam*, inquit Dauid, *ego in flagella paratus ſum.* Pſalm. 37. ſi quis vellet auferre, grauiter in Euangelium offenderet, quod omninò prçcipit, vt faciamus dignos fructus pœnitentiæ. A quibus ergo pœnis homines abſoluunt indulgentiæ?

SOLVTIO. Negatur ſequela, ſiue maior: quia non eſt ſufficiens enumeratio partium, ſiue ſpecierum. nam illis quatuor iam enumeratis, addenda eſt quinta pœna, quæ ſcilicet poſt iuſtificationem remanet ſoluenda temporaliter, cuius ſolutio, ſicut pœnæ purgatorij & voluntariè aſſumptæ, iudicio Summi Pontificis Romani ſubditur, ſubordinatur, & ſubſeruit.

DECIMA RATIO. Nullum inuentum & figmentum humanum ad iuſtificationem eſt neceſſarium. omnis indulgentia eſt inuentum & figmentum humanum: ergo nulla indulgentia ad iuſtificationem eſt neceſſaria.

MAIOR Act. 4. & 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

MINOR: quia ſunt traditiones Papæ & Epiſcoporum, quas prohibuit Chriſtus in Euangelio. Matth. 15. & Marci. 7. Nam iſti propter ſuum quæſtum & lucrum (vt dicit Eraſmus in Colloquijs in Dialogo qui inſcribitur, Peregrinatio religionis ergô) finxerunt indulgentias, quibus ſeducunt populum.

SOLVTIO PRIMA. Negatur conſequentia: tum quia præmiſſæ ſunt falſæ. MAIOR falſa: propterea, quia ſunt quædam humana conſilia & inuenta ex Deo, quæ peccatores excitant, & promouent ad iuſtificationem. MINOR quoque ſimpliciter falſa, & probatio illius eſt blaſphemia, & contumelia: quia hæretici blaſphemant, & contumelia afficiunt ſine cauſa Eccleſiam Catholicam.

SOLVTIO SECVNDA. Ad hoc ſophiſticum argumentum hæreticorum iam pridem reſpondit ipſemet B. Paulus Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 4. dicens: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Ergo omnis indulgentia originaliter, primò, principali-

principaliter,& per ſe eſt à Deo,tanquam datum optimum,& donum perfectum, deſcendens à Patre luminum; à Papa autem & Epiſcopis eſt tanquam à miniſtris, & diſpenſatoribus præordinatis miniſteriorum, gratiarum, & indulgentiarum Dei.

AD ILLVD AVTEM, quia ſub indulgentia fiunt & fieri debent oblationes in Eccleſia,reſpondetur ſic: quia Iudæi, in ſuis ſolennitatibus & tempore indulgentiarum,in ſuis Synagogis non apparebant in conſpectu Dei vacui,Deut.16. ſed offerebat vnuſquiſq; ſecundùm quod habuit,iuxta benedictionem Domini Dei ſui,quã dabat ei: & Chriſtianus populus,populus acquiſitionis, gens ſancta,regale ſacerdotium, cui dictum eſt Matth. 5. *Tunc veniens offeres munus tuum ad altare*, erit fortaſsis tam ſtultus, tam barbarus, tam ingratus, vt nihil offerat ad Eccleſiam? abſit verò tanta ſtultitia, tanta barbaries, tanta ingratitudo à populo Dei. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus.* Et D. Thomas ſuper 4. Diſtinct. 20. *Sub indulgentia non prohibetur ſubſidium, vt, quòd qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxilium, quod fiat ſecundùm facultatem auxiliantis, & quod ſit conueniens ei, qui auxilium dat: & ſecundùm quod accedit ad hoc, ſecundùm hoc plus vel minus de indulgentia conſequitur. Vnde etiam aliquis pauper dans vnum denarium, conſequitur totam indulgentiam: non autem diues, quem non decet ad opus tam pium & fructuoſum ita parum dare; ſicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere, ſi ei obulum daret.*

IAM VERO ad illas authoritates ſcripturæ,quibus contra indulgentias abutuntur hæretici, reſpondent ſancti Patres.

D. THOMAS AQVINAS ſuper cap. 6. ad Hebræ. Lect. 1. exponens illa verba B. Pauli Apoſtoli: *Impoſsibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam*, inter cætera ſic dicit: *Notandum eſt, quòd nõ dicit, lapſi ſimpliciter; ſed, prolapſi, id eſt, totaliter lapſi: quia ſi lapſi tantùm eſſent; non ita difficile foret reſurgere. Prouer. 14. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Quòd ſi diceret Apoſtolus, illos, qui prolapſi ſunt, impoſsibile eſt reſurgere; tunc poſſet dici, quòd in hoc notat maximam difficultatem reſurgendi; ſcilicet, & propter peccatum, & propter ſuperbiã; ſicut patet in dæmonibus: ſed quia dicit, illos, qui ſemel prolapſi ſunt, non poſſe rurſus renouari ad pœnitentiam: nec eſt aliquod peccatum in hoc mundo, à quo non poteſt homo pœnitere; ideò aliter eſt intelligendũ. Vnde ſciendum eſt, quòd ex hoc loco ſumpſit Nouatus quidã, qui fuit Presbyter Eccleſiæ Romanæ, occaſionẽ errandi: voluit enim, quòd nullus poſt Baptiſmum*

poſſet ad pœnitentiam reſurgere. ſed iſta poſitio falſa eſt, ſicut dicit Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem: quia ipſe Paulus recepit incœſtuoſum Corinthium, ſicut patet 2. ad Corinth. 2. Et ſimiliter ad Gal. cap. 4. quia dicit: Filioli mei, quos iterum parturio. &c. Eſt ergo intelligendum, ſicut dicit Auguſtinus in libro de vera & falſa pœnitentia cap. 2. quòd non dicit, quòd impoſſibile eſt pœnitere; ſed quòd impoſſibile eſt, Rurſus renouari, id eſt baptizari, ad Titum 3. Per lauacrum regenerationis, & renouationis. &c. Nunquam enim poteſt homo ſic pœnitere, quòd poſſet iterum baptizari: & hoc dicit Apoſtolus: quia ſecundùm legem Iudæi multoties baptizabantur, ſicut patet Marci 7. & ideò ad iſtum errorem remouendum dicit hoc Apoſtolus. Contra iſtum Nouatum ſcripſit D. Ambroſius multa lib. 1. de Pœnitentia. &c.

Idem D. AMBROSIVS ſuper cap. 6. ad Hebræ. ſuper ijſdem verbis Apoſtoli dicit ſic: *Impoſſibile eſt, inquit, non difficile: impoſſibile inquit, in deſperationem eos miſit, ſecundò baptizari non poſſe: quia impoſſibile eſt, quod fieri non poteſt; difficile verò, quod quamuis cum labore, fieri tamen poteſt. &c. Si in peccata iterum incidetis, impoſſibile eſt vos renouari iterum ad pœnitentiam. ad pœnitentiam dixit, hoc eſt, per pœnitentiam. Quid igitur? excluſa eſt pœnitentia poſt baptiſmum? Abſit: ſed renouatio per ſacri baptiſmatis lauacrum ſecunda vice fieri non poteſt: renouari dixit, hoc eſt, nouum fieri. nouum quippe facere hominem ſacri baptiſmatis eſt, de quo Propheta Pſalmo 102. ait: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, cuius virtus, id eſt baptiſmatis ſacri, in cruce & ſepultura Chriſti conſtat.* Hæc D. Ambroſius.

Ad illam autem authoritatem ad Hebræ. 12. *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiuiſſet eam:* D. THOMAS AQVINAS: *Sed contra: quia dicitur Ezechielis 18. Quacunque hora ingemuerit peccator. &c. Reſpondeo: dicendum eſt, quòd quàm diu præſens vita agitur, poteſt agi vera pœnitentia. Interdum tamen aliquis pœnitet non propter amorem iuſtitiæ, ſed propter timorem pœnæ, vel damni temporalis, & ſic pœnituit Eſau: non quia vendiderat primogenita, ſed quia perdiderat: vnde non dolebat de peccato venditionis, ſed de damno perditionis: & ideò pœnitentia eius non fuit accepta; quia non erat vera: ſic etiam pœnitent damnati in inferno. Sapient. 5. Pœnitentiam agentes: non quia peccauerunt; ſed, quia excluſi ſunt.* Hæc Diuus Thomas.

ERGO ſcripturę loca benè intelligenda, & in eo ſenſu quem tenet ſancta mater Eccleſia Catholica, cuius

eſt iudica-

eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum ſemper accipienda.

Sed contrà, eſt quod Dominus Deus Leui. cap. 25. præcipit dicens: *Sanctificabisq; annum, & vocabis remiſsionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipſe eſt enim Iubileus.* Et per Iſaiam cap. 1. dicit: *Lauamini & mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſè, diſcite benè facere: quærite iudiciũ, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Item, Iſaiæ cap. 4. *Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem. Si abluerit Dominus ſordem filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. &c.* D. Albertus Magnus ſuper cap 13. Zachariæ, hæc verba Iſaiæ de indulgentijs interpretatur.

Item, Ieremiæ cap. 3. *Vulgò dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid reuertetur ad eam vltra? numquid non polluta erit & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit Dominus. &c. Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego vir veſter, & aſſumam vos.*

ET IN NOVO TESTAMENTO Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Item Iſaiæ 61. & Lucæ 4. *Spiritus Domini ſuper me: eò quòd vnxerit me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, diem vltionis Deo noſtro: vt conſolarer omnes lugentes.*

Atque hoc ipſum pluribus rationibus poteſt confirmari.

PRIMA RATIO. Contra negantes principia, non eſt diſputandum. ſed hæretici negantes indulgentias, negant principia: igitur contra hæreticos non eſt diſputandum.

MAIOR vera eſt Ariſtotelis lib. 1. Phyſicorum.

MINOR

MINOR probatur. Quæcunq; omnibus naturaliter, primò, & per ſe nota ſunt; illa ſunt principia. ſed indulgentiæ omnibus naturaliter, primò, & per ſe notæ ſunt: igitur indulgentiæ ſunt principia.

MAIOR vera eſt Ariſtotelis 1. Phyſicorum.

MINOR probatur communi ſenſu naturæ, & publica voce hominum: nam paſsim proximus interrogatus à proximo, quò vadis? ad tẽplum, inquit, pro indulgentijs.

Nec refert, ſiue cognitione confuſa, ſiue diſtincta, ſint notæ omnibus indulgentiæ, ſiquidem conſtat: ſed illud certum eſt, quia naturaliter omnibus primò, per ſe ſunt notæ.

SECVNDA RATIO, Quicquid reducitur ad articulos fidei, & eſt pars fidei; illud ad iuſtificationem neceſſariò requiritur. ſed omnis indulgentia Catholica reducitur ad articulos fidei, & eſt pars fidei: igitur omnis indulgentia Catholica neceſſariò requiritur ad iuſtificationem.

MAIOR vera à definitione, ſiue à cauſa ad effectum.

MINOR probatur: quia omnis indulgentia reducitur ad articulum decimum, qui eſt ſancti Simonis Apoſtoli, *Credo remiſsionem peccatorum*, tanquam ſpecies ad ſuum genus, vel pars ad ſuum totum. Vnde D. Hieronymus Epiſt. 154. ad Deſyderium, quem hortatur, vt indulgentiarum nomine veniat ad loca ſancta, vbi dicit, Certè adoraſſe, vbi ſteterunt pedes Domini, pars fidei eſt.

Audiant hæretici negantes indulgentiam; quia fidem negant: blaſphemantes indulgentiam; quia fidem ſanctam blaſphemant: oppugnantes indulgentias; quia fidem ſanctam, oppugnant.

TERTIA RATIO. Quidquid reducitur ad præcepta Dei decem, & ad quinq; præcepta Eccleſiæ; illud ad iuſtificationem neceſſariò requiritur. ſed omnes indulgentię reducũtur ad præcepta Dei decem, & ad quinq; præcepta ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ: igitur omnes indulgentiæ ad iuſtificationem neceſſariò requiruntur. MAIOR vera à definitione Mat. 19.

MINOR probatur: quia indulgentiæ reducuntur ad tertium Dei præceptum: *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*. Nam ſicut Deus pręcepit ſanctificare ſabbata; ita & iubileos & indulgentias, vt patet Leuit. 25. & in aliis ſacrę ſcripturę locis. Itaq; illud quod pręcipitur in genere, *Sabbata ſanctifices*; hoc idem explicatur multis locis in ſpecie, videlicet, *Sanctifices diem ſeptimum*, *Neomenias*, *menſem ſeptimum*, *annum ſeptimum*, *& annum ſepties ſeptimum*, id eſt, quinquageſimum,

annum

annum Iubileum, quem communiter annum Sanctum dicimus, & ſanctificare debemus de præcepto.

Præterea, reducũtur indulgentię ad illud Eccleſiæ pręceptum, quo præcipitur: Dies feſtos, indictos ab Eccleſia, celebra.

QVARTA RATIO. Quidquid Deus ex Synagoga in ſuam Eccleſiam tranſtulit, tranſplantauit, reformauit, confirmauit, auxit, & perfecit; illud eſt, & neceſſariò requiritur ad iuſtificationem. ſed omnes indulgentias Pontificum, & benedictiones ſacerdotum ſuorum, vnà cum lege, ſacerdotio, & ſacrificijs, Deus ex Synagoga in ſuam Eccleſiam tranſtulit, tranſplantauit, reformauit, confirmauit, auxit, & perfecit: igitur in Eccleſia Catholica ſunt indulgentiæ, & neceſſariò requirũtur ad iuſtificationem.

MAIOR eſt in figura Ioan. ca. 6. *Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus bordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerunt.* Non ergo perierunt fragmenta benedictionum & indulgentiarum, quibus vtebatur Synagoga; ſed ſeruata ſunt in cophinis per Apoſtolos. Vnde Ariſtoteles lib. 1. de Cælo. & 3. de Ani. Deus & natura, nihil faciunt fruſtrà.

MINOR eſt Apoſtoli ad Hebræ. 7. Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat: & per conſequens tranſlato pontificatu & ſacerdotio ex Ieruſalem in Romam, neceſſariò ſequitur: quia lex Euangelij, & ſacrificia, & indulgentiæ, & benedictiones ex Synagoga ad Eccleſiam Catholicam ſunt tranſlatæ.

QVINTA RATIO. Si nullas haberemus in Eccleſia Sancta Catholica (vt volunt hæretici) indulgentias; ſequeretur quia felicior, perfectior, iuſtior, & ſanctior olim fuiſſet in ſua religione Synagoga Iudæorum, quàm eſt nunc Eccleſia Catholicorum. ſed Eccleſia Catholicorum in ſua religione multò eſt felicior, perfectior, iuſtior, & ſanctior, quàm olim Synagoga Iudæorum: igitur in Eccleſia Catholica, Dei gratia, maiores nunc habemus indulgentias, quàm olim fuerunt in Synagoga.

SEQVELA à deſtructione conſequentis, ad deſtructionem antecedentis.

MINOR eſt Apoſtoli pluribus locis; ſed præcipuè ad Galat. 3. ad Coloſs. cap. 2. *Lex vmbra futurorum, ad perfectum adduxit nihil.* Ad Hebræ.

Hebræ. 7. *Euangelium autem eſt lex perfectæ libertatis.* Iacobi cap. 1. & ad Coloſs. 1. Propterea ſancta mater Eccleſia Catholica, tanquam felicior, perfectior, pulchrior, iuſtior, & ſanctior inuitat Synagogam ad indulgentias, tanquam ad conuiuium Catholicorum ca. 5. dicens: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Id eſt, vt gratia indulgentiarum inebriari poſſitis: cum diſplicentia, & deteſtatione omnia peccata veſtra deponere, & eorum perpetuo obliuiſci. Vnde Synagoga miratur ſanctam Eccleſiam Canticorum cap. 6. dicens: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?*

SEXTA RATIO. Cuius priuatio mala, habitus eſt bonus. ſed indulgentiarum priuatio eſt mala: ergo indulgentiarum habitus eſt bonus. & per conſequens, indulgentiæ ſunt in Eccleſia, quibus priuata eſt Synagoga, & neceſſariò requiruntur ad iuſtificationem.

MAIOR eſt vera, & eſt Ariſtotelis lib. 3. Topicorum cap. 1.

MINOR probatur exemplis. Quando Deus reuocauit indulgentiam ſub Noë, diluuium ſubmerſit, extinxit, & in profundum miſit mundum: quando Deus reuocauit indulgentiam ſub Abraham & Loth, ignis de cęlo cōſumpſit Sodomam, Gomorram, & alias ciuitates conuertit in fauillam: quando Deus reuocauit indulgentiam à Iudęis ſub Tito, & Veſpaſiano; Iudæi Rempub. & regnum, & legem, & Eccleſiam, & gentem, & ſacerdotium, & victimas, & ſacrificia cum omnibus benedictionibus amiſerunt, & iam ante oculos chriſtianorum dati & & poſiti ſunt in exemplum.

SEPTIMA RATIO. Quidquid eſt in natura, in mundo, in cælo, in Republica, & in ciuitate; hoc idem abundantius & melius eſt in Eccleſia Catholica. ſed indulgentia eſt in natura, eſt in mundo, in cælo, eſt in Republica, & in ciuitate: igitur indulgentia abundatius & melius eſt in Eccleſia Catholica.

MAIOR eſt vera: quia Eccleſia ſuperat naturam, gratiam, mundum & cælum, ſuperat ordine & hierarchia: quia & cælum creatum eſt in miniſterium Eccleſiæ: vincit Rempublicam & ciuitatem legibus, moribus, honeſtate, dignitate, iuſtitia, virtute: iuxta illud Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſancta mater Eccleſia Catholica ſupergreſſa es vniuerſas.*

MINOR

MINOR pro ſingulis partibus: primò indulgentiam eſſe in natura, in mundo, & in cælo, docet princeps Poëtarum Virgilius lib. 2. Georgicorum, ſic dicens:

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmue habuiſſe tenorem
Crediderim, Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri;
Cùm primùm lucem pecudes hauſêre, virumq́;
Ferrea progenies duris caput extulit aruis,
Immiſſæq́; feræ ſyluis, & ſydera cælo.
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret, frigusq́; caloremq́;
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.

Deinde indulgentiam eſſe in Republica, & in ciuitate: quia in Republica, & in ciuitate, & captiui, & ſerui redimuntur, manumittuntur, & libertate ac indulgentia donantur. Vnde Simo ſenex apud Terentium in Andria Act. 1. Sce. 1. ad Soſiam dicit ſic:

Ego poſtquam te emi à paruulo, vt ſemper tibi
Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus
Scis, feci è ſeruo, vt eſſes libertus mihi,
Propterea, quòd ſeruiebas liberaliter.

Item, MINOR probatur ſic. Eſt alteratio in natura: ergo & indulgentia in Eccleſia. CONSEQVENTIA Ioël. 1. non vult Deus, vt homines tanquam iumenta computreſcant in ſtercore ſuo. ANTECEDENS Ariſtotel. 1. de Generat. & omnium Peripateticorum Philoſophorum.

OCTAVA RATIO. Cuius rei Chriſtus poſuit ſignum, oſtendit & dedit exemplum, & tradidit præceptum in Euangelio; illa eſt & debet eſſe in Eccleſia. ſed indulgentiæ Chriſtus poſuit ſignum, dedit exemplum, & tradidit pręceptum in Euangelio: igitur indulgentia eſt, & eſſe debet in Eccleſia.

MAIOR vera ab authoritate.

MINOR. Ioan. 13. poſuit ſignum: quia lotionem externam pedum, propter internã conſcientiæ ablutionem, dedit exemplum: quia Petro & diſcipulis, proprijs manibus Dominus & Magiſter lauit pedes. tradidit præceptum, quia dixit: *Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Eſt in Eccleſia excommunicatio: igitur & indulgentia.

CONSEQVENTIA nota ex Topica Ariſtotelis. Poſito vno contrariorũ in eſſe, neceſſariò ponitur & aliud. ANTECEDENS patet ad ſensũ.

NONA RATIO. Meſsiæ Chriſti redemptoris merita, beatę Dei genitricis virginis Mariæ, & omnium electorum à primo iuſto vſq; ad vltimum, hoc eſt capitis & membrorum, ad iuſtificationem peccatoris neceſſariò requiruntur: ergo & indulgentia cum Iubileo.

CONSEQVENTIA à cauſa ad effectum.

ANTECEDENS eſt Apoſtoli ad Hebræ. cap. 9. & 12. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti?*

DECIMA RATIO. Vota cum peregrinatione ad loca ſancta, confeſsio cum contritione, pœnitentia cum ſatisfactione, vigiliæ cum lachrymis & oratione ſine intermiſsione, ſacrificia cum oblatione & offertorijs, dolor pro peccatis præteritis, cuſtodia à futuris, applicatio theſauri Eccleſiæ, his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, &c. requiruntur ad iuſtificationem: igitur & indulgentiæ neceſſariò requiruntur ad iuſtificationem.

CONSEQVENTIA ab officio peccatoris indulgentiam quærentis.

ANTECEDENS patet in vſu Eccleſiæ Catholicæ, & quotidianis plurimorum exemplis, & probatur, quò ad ſingula puncta Notabili. 6.

VLTIMA RATIO. Pro quo Eccleſia ſine intermiſſione orat ad Deum, illud eſt neceſſarium ad iuſtificationem. ſed Eccleſia ſine intermiſsione pro indulgentia orat ad Deum: ergo indulgentia eſt neceſſaria ad iuſtificationem.

MAIOR vera ab authoritate.

MINOR probatur vſu perpetuo ſanctæ matris Eccleſiæ: *Et dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

DECRETVM.

Poſſunt & alia ſexcenta in eam rem argumenta, contra blaſphemos & impios hæreticos produci: ſed breuitatis cauſa omittuntur: & quia

quia aduerſus hunc errorem hæreticorum,ſanctas indulgentias ridentiũ,differuit copioſè Ioannes Roffenſis,vir eximia eruditione,& chriſtiana pietate clarus, ab Articulo decimoſeptimo,vſq; ad vigeſimũ ſeptimũ, vbi grauiter,acutè,& euidenter Lutheri impietatem refutat,& conuincit. Et poſt illum Martinus Ledeſmius, & ante hos innumeri Doctores ſcholaſtici in 4. Sententiarum Diſtinct. 20. & Decretorum Doctores in capite Indulgentiæ, de Pœnitentia, & remiſsione lib. 6. & alijs in locis.

Item Dominicus à Soto, & Hannibal Roſelli in lib. de Sacramen. & alij plurimi. Verùmtamen ſi hęretici Lutherani, iſti duræ ceruicis homines, adhuc temerè reſiſtunt Spiritui ſancto, ſi contradicunt verbo Dei, ſi in ſcripturis agnitam veritatem oppugnant, & ſanis ſermonibus & doctrinis ſanctę matris Eccleſiæ Catholicæ non acquieſcunt; audiant igitur ſacroſancti concilij Tridentini Patrum horribile decretum, qui Seſsione 25. decreto de indulgentijs contra hæreticos pronunciauerunt ſic: *Cùm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit; Sacroſancta Synodus, indulgentiarum vſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum autoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe, docet & præcipit*, EOSQVE ANATHEMATE DAMNAT, QVI AVT INVTILES ESSE ASSERVNT, VEL EAS CONCEDI IN ECCLESIA POTESTATEM ESSE NEGANT. *In his tamen concedendis, moderationem iuxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate, Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus verò, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione, inſigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit; prauos quæſtus omnes pro his conſequendas, vnde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omninò abolendos eſſe. Cæteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocunque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum, & prouinciarum, apud quas hi committuntur corruptelas, commodè nequeant ſpecialiter prohiberi, Mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eosq; in prima Synodo prouinciali referat, vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad Summum Romanum Pontificem deferant, cuius autoritate & prudentia, quod vniuerſali Eccleſiæ expediet, ſtatuatur, vt ita ſanctarum indulgentiarum munus, piè, ſanctè, & incorruptè, fidelibus diſpenſetur.*

Pro maiori euidentia quæſtionis, TERMINORVM, CONCLVSIONVM, Corollariorum, & pro reſolutione dubiorum, & argumentorum in nomine Domini, ſit hoc

NOTABILE PRIMVM.

Caput I.

DE NOMINE INDVLGENTIA.

INdulgentiam Græci συγγνώμη,ης,ἡ. appellant: nam συγγινώσκω indulgeo dicitur. Eſt autem indulgere ſecundùm Priſcianum obſequi,inſeruire,conſentire,& facilè ignoſcere. Sic Imperatores dicti ſunt indulgentiſsimi,quòd ſint benefici; tum ad gratificādum & ignoſcendum propenſi. Sic mater dici ſolet indulgentiſsima: quia multa pueris condonat, ignoſcit. non ſolùm mater, ſed & ipſe Menedemus pater apud Terentium in Heautontimorumenon Act. 4. Scena 8. hoc nomine, quia Cliniæ filio nimium indulget, malè audit; nam hoc illi obiicit ſenex ille vicinus Chremes dicens: *Nimium illi Menedeme indulges.* Aliquando indulgere,idem eſt,quod maius ſpatium dare,vt apud Virgilium lib. 4. Æneid. *Indulgere hoſpitio, cauſaſq; innecte morandi.*

Volunt autem latini,ij,indulgere ſeu indulgentia verbum eſſe medium,quod in bonam & malam partem accipiatur. Indulgere, ſeu indulgentia in malam partem accipitur, pro eo, quod eſt immodicam licentiam alicui facere,ad aliquid quod non licet perpetrandum,ſiue viuere extra diſciplinam:& hoc nomine apud M. Ciceronem lib. 1. de legibus Epicurei malè audiunt, & ciuitate prohibentur, & excluduntur à ſocietate hominum: Epicuri, inquit, ſibi indulgentes,& corpori deſeruientes, atque omnia quæ ſequantur in vita, quæque fugiant voluptatibus & doloribus ponderantes, &c. iſtos, vt ab omni ſocietate Reipub. pauliſper faceſſant,rogemus.Idem Cicero de Amici.Sed obſequium multò moleſtius quod peccatis indulgent, id eſt, cōſentiunt,pręcipitem amicū ferri ſinit. Idem ibidem: Spernere veteres amicitias, & indulgere nouis. Et F. Quintilianus lib 1. Oratoriarum inſtitutionum cap. 3. Vtinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus,infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. Mollis illa educatio, quam indul-

indulgentiam vocamus, neruos omnes, & mentis & corporis frangit. Addit Statius cauſam dicens : *Vultus & egregiæ tanta indulgentia formæ.* Et Horatius lib. 1. Carminum Ode 2.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops:
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Vnde & in Prouerb. dicitur : Indulgere genio, Indulgere Baccho, indulgere gulæ, indulgere Veneri. &c.

CONTRA, vbi in bonam partem eodem verbo Indulgere,& Indulgentia, probati vtuntur authores, pluribus locis poteſt probari & oſtendi: nam idem ipſe M. T. Cicero in Oratore dicit: Conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor. Idem lib. 1. de Officijs : Magnus vir, inquit, inprimis,& qui perindulgens in patrem, idem ſeuerus in filium. Et Vergilius lib. 2. Georgicorum.

Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusq́; caloremq́;
Inter: & exciperet cæli indulgentia terras.

THEOLOGI AVTEM, ET ECCLESIA CATHOLICA, hoc verbo Indulgere, & Indulgentia, non niſi in bonam partem vtuntur : vtuntur autem non quaſi cõſentientes,vt malum fiat (quod abſit) ſed pro pietate Chriſtiana per miſericordiam & compaſsionem, condolendo his,qui ignorant & errant,peccatum & malum quod fecerunt ignoſcendo,& donando,ſicut & Chriſtus nobis donauit.

Vtuntur etiam PATRES hoc verbo Indulgentia. D. Hieronymus ſuper 4. caput Daniel. D. Auguſtinus ſuper Pſalm. 101. Et D. Cyprianus in Epiſtola ad Iubaianum& alibi.

Obſeruant etiam SCHOLASTICI (vt Dominicus à Soto Diſtin. 21. Quæſtione 1. Articulo 2.) quia hæc Synonima ſunt, & voce tantùm inter ſe non ſignificatione differunt, atque nihil aliud niſi abſolutionem ſonant; vt indulgentiæ, relaxationes, remiſsiones, veniæ, miſericordiæ, miſerationes, propitiatio, aliquando diſpenſatio, & ſolutio, recompenſatio, pars ſatisfactionis, vel ſatisfactio,& ſanctificatio.

Item, dies Indulgentiarum dicuntur dies ſalutis, dies propitiationis, dies expiationis, ſanctificationis, & tempus acceptabile, ſæpènumero pro eodem. Item nota, quia Caietanus in Tract. ad Iulium medic. capit. 6. plurimum verborum conſumat, vtrum participalius ſit abſolutio quàm diſpenſatio, an verò diſpenſatio quàm abſolutio:& in hanc partem propendet, quòd eſt primùm abſolutio. Dominicus à Soto Diſtinct. 21. Quęſt. 1. Articulo 2.

Caput II.

DE NOMINIBVS INDVLGENTIARVM.

EXprimuntur autem indulgentiæ alijs diuerſis vocabulis, vt ſcribit frater Oſualdus libro 4. Roſarij Theologiæ, & alij: nam Indulgentia dicitur Carena, à carentia conuerſationis hominum, vel etiam cibariorum: nam illis quadraginta diebus homines includuntur in aliquo loco ſecreto iuxta Eccleſiam, vbi non habent conſortium hominum: vnde colligitur ex geſtis Summorum Pontificum, quia differentia eſt inter ſeptenam, vel ſeptenariam quadragenam, & carenam, quæ etiàm Carentena aliquando dicitur. Nam CLEMENS Papa primus conſtituit QVADRAGENAM, per quam deſignauit pœnitentiam quadraginta dierum cum ſeptem annis ſequentibus, quam pœnam iniungebat ratione vnius peccati mortalis; ita quòd per iſtos ſeptem dies, pœnitentes excludebantur ab Eccleſia, & incedebant capite diſcooperto ſparſo cinere, & poſt eoſdem dies iniungebatur illis pœnitentia ſeptennis. De quo vide latius alios, & fratrem Oſualdum, vbi ſupra & intra hos annos ſeptem, non vtebantur carnibus, nec vino, nec lecto, nec balneo; ſed dormiebant in terra aſperſa, vel lapide: Et expletis illis annis, tunc primum licuit ipſis communicare corpore Dominico.

SEPTENAM, INNOCENTIVS PAPA PRIMVS, iniungebat pro vno peccato mortali: & pœnitentia huiuſmodi vocabatur ſeptenaria, vel ſeptena Innocentij. Et quid pœnitentes ſingulis illis pœnitentiæ diebus facere tenebantur, legito apud alios.

Sed CARENA, ſiue Carentena erat pœna includens pœnitentiam Quadragenæ & ſeptenæ: quia ſic pœnitentes abſtinebant à cibis, & à conuerſatione hominum, & ieiunabant in pane quadraginta diebus; licèt modò Canones pœnitentiales ſint arbitrij, pœnæq; arbitrariæ.

Modò autem Papa dans Quadragenam, vel Septenam, vel Carentenam, ſiue Carenam, in literis Indulgentiarum; vult & intendit abſoluere illos, qui faciunt quod in ſe eſt, & ſeruant præcepta Indulgentiæ, & qui debitè vtuntur indulgentijs, vel tantam gratiam remiſsionis conferre, quantã iſti per pœnitentias meruerunt: & ſic per annum pœnitentialem, confert tantam gratiam remiſsionis, quantam homo meretur per ſe pœnitendo per annum.

Quibuſdam etiam aliquando datur propter rationabilem cauſam abſolutè, ſine pœnitentia & confeſsione.

Hîc, ſi fortè quis quærat, quid eſt facere, quod in ſe eſt? Reſpondet Alexander

det Alexander de Ales, parte 3. quæſtione 69. Articulo 3. *Ad videndum*, inquit, *quid eſt facere quod in ſe eſt, eſt notandum, quòd in quolibet homine per naturam eſt recta ratio: & hæc rectitudo boni, eſt notio indita à creatore, qua quælibet anima poteſt cognoſcere ſuum principium, ſcilicet Deum, ſecundùm illud Pſalm. 99. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Per hoc enim, quòd quodlibet naturaliter ſcit ſe non ſemper fuiſſe, ſcit ſe factum eſſe, & ita ſcit ſe habere principium, & ſcit quòd ab illo in principio habet quidquid habet, & non à ſe. Scit etiam quòd ab illo debet petere bonum, quodq́; per illum debent ſuppleri omnes ſui defectus. Si ergo ſecundùm iſtam notionem operatur homo ſuo arbitrio, recurrendo ad illum, quem ſcit ſuum eſſe principium, & quem ſcit eſſe adorandum, & petit ab illo lumen cognitionis fidei & boni; facit quod in ſe eſt, & hoc eſt facere, quod in ſe eſt generaliter in quolibet homine. Plus autem eſt in fideli exiſtente in peccato mortali de lumine: quia ipſe habet fidem informem: quia ſine charitate. Hæc autem fides informis, radiat ad duo: ſcilicet ad diuinam iuſtitiam damnantem reprobos; & ad diuinam miſericordiam ſaluantem iuſtos: ex primo creabitur timor in eo, & ex ſecundo ſpes.* Et hoc eſt facere, quod in ſe eſt, vt docet Alexander de Ales, loco ſuperius allegato.

Porrò, peccatori facienti quod in ſe eſt, dat Deus gratiam, quam non daret, niſi quod in ſe eſt faceret, ſecundùm illud Zacha. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et Iaco. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

Caput III.

DISTINGVITVR MVLTIPLEX.

MAGISTER SENTENTIARVM lib. 4. Diſtin. 26. annotauit: quia vocabulum Indulgentię in ſacra ſcriptura eſt multiplex: nã diuerſis modis accipitur. PRIMÒ, pro conceſſione gratiæ.

SECVNDÒ, pro remiſſione pœnæ, pro venia, pro remiſſione peccatorum.

TERTIÒ, pro permiſſione. Et eſt permiſſio in Nouo Teſtamento de minoribus bonis, & de minoribus malis. De minoribus bonis eſt coniugium, quod non meretur palmam, ſed eſt in remedium. De minoribus malis, id eſt de venialibus eſt coitus, qui fit cauſa incontinentiæ. Illud, ſcilicet coniugium, indulgetur, id eſt, conceditur: illud verò, id eſt, coitus talis permittitur, id eſt, toleratur, ita quòd non prohibetur.

QVARTÒ, pro diſpoſitione.

QVINTÒ, pro auctoramento, vel remedio, quod valet ad mulctæ liberationem.

Similiter ORIGENES, Homelia ſecunda ſuper Leuit. cap. 1. & 2. (quem locum nos obſeruabimus diligenter contra Nouatianos: & illam authoritatem, quam pro ſe trahunt, ex Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræ. 6.) obſeruat, & ſcribit, quia vocabulum indulgentiæ, ſeu remiſsionis eſt multiplex, vbi inter alia ſic dicit. *Sed fortaſsè dicant auditores Eccleſiæ. Melius ferè agebatur cum antiquis quàm nobiſcum, vbi oblatis diuerſo ritu ſacrificijs, peccantibus venia præſtabatur, apud nos vna tantùmmodo venia eſt peccatorum, quæ per lauacri gratiam in initijs datur, nulla poſt hæc peccanti miſericordia, nec venia vlla conceditur. Decet quidem diſtrictioris eſſe diſciplinæ Chriſtianum, pro quo Chriſtus oblatus eſt: pro illis oues, hirci, boues, iugulabantur, & aues, & ſimilia conſpergebantur; pro te Dei filius iugulatus eſt, & iterum te peccare delectat? Et tamen, ne tibi hæc non tam erigant animos pro virtute, quàm pro deſperatione deijciant, audiſti, quanta ſint in lege ſacrificia pro peccatis, audi nunc quantæ ſint remiſsiones peccatorum in Euangelio.*

Eſt iſta PRIMA, *qua baptizamur in remiſsionem peccatorum.*

SECVNDA *remiſsio eſt in paſsione martyrij.*

TERTIA, *quæ pro eleemosyna datur: dicit enim Saluator. Luc.* 11. *Verùmtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

QVARTA, *nobis fit remiſsio peccatorum per hoc, quòd & nos remittimus peccata fratribus noſtris: ſic enim dicit ipſe Dominus & Saluator noſter Mat.* 18. *Quia ſi dimiſeritis fratribus veſtris ex corde peccata ipſorum, & vobis remittet pater veſter peccata veſtra. Quòd ſi nõ remiſeritis fratribus veſtris ex corde, nec vobis remittet pater veſter. Et ſicut in Oratione nos dicere docuit: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.*

QVINTA *remiſsio peccatorum eſt, cùm conuerterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ: ita enim dicit ſcriptura diuina Iac. cap.* 5. *Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum.*

SEXTA *quoque fit remiſsio per abundantiam charitatis, ſicut & ipſe dominus dixit, Lucæ* 7. *Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. & Apoſtolus* 1. *Petri* 4. *dicit: Quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

Eſt adhuc & SEPTIMA, *licèt dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſsio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte: & cùm non erubeſcit Sacerdoti domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundùm eum,*

qui ait Pſal. 31. Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod Apoſtolus Iac. cap. 5. dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.

I. Et tu ergo cùm veneris ad gratiam baptiſmi, vitulum obtuliſti: quia in morte Chriſti baptizaris.

II. Cùm verò ad matrimonium duceris, hircum obtuliſti: quia authorem peccati diabolum iugulaſti.

III. Cùm verò eleemoſynam feceris, & erga indigentes affectum miſericordiæ ſollicita pietate dependeris, altare ſacrū hœdis pinguibus oneraſti.

IIII. Nam ſi ex corde remiſeris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore depoſito, mitem intra te, & ſimplicem recollegeris animum; immolaſſe te arietem, vel agnum in ſacrificium obtuliſſe, confide.

V. Porrò autem ſi diuinis lectionibus inſtructus meditando ſicut columba, & in lege Domini vigilando die ac nocte, ab errore ſuo conuertens peccatorem, & abiecta nequitia ad ſimplicitatem cum columbæ reuocaueris, atq; adhærendo ſanctis, feceris eum ſocietatem turturis imitari; par turturum, aut duos pullos columbarum Domino obtuliſti.

VI. Quòd ſi illa, quæ ſpe & fide maior eſt charitas, abundauerit in corde tuo, ita vt diligas proximum tuum, non ſolùm ſicut te ipſum, ſed ſicut oſtendit ille, qui dicebat Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; panes ſimilagineos, in charitatis oleo ſubactos, ſine vllo fermento malitiæ & nequitiæ, in azimis ſinceritatis & veritatis te obtuliſſe cognoſce.

VII. Si autem in amaritudine fletus tui fueris, luctu, lachrymis, & lamentatione confectus: ſi carnem tuam macerauueris, & ieiunijs ac multa abſtinentia aridam feceris, & dixeris, quia ſicut frixorium confrixa ſunt oſſa mea; tum ſacrificium ſimilam à ſartagine, vel à craticula obtuliſſe te noueris. Et hoc modo inueneris tu verius & perfectius ſecundùm Euangelium offerre ſacrificia, quæ ſecundùm legem iam offerre non poteſt Iſrael.

Caput IIII.

DE DEFINITIONE.

Quemadmodum, vt dicit Cicero lib. 2. de Oratore, ad conſilium de Repub. dandum caput eſt noſſe Rempublicam; ita ad diſputationem (quã vellem ſub regula fidei ſobriam, & ad ædificationem) de Indulgentia caput eſt noſſe Indulgentiam, & quidnã ſit Indulgentia. Quamuis au-

ùis autem Indulgentia definiri definitione eſſentiali non poſsit; propterea quia conſtat (vt in Catechiſmo Romano ſcriptum eſt) quòd mater Eccleſia Catholica immenſa vi, & infinita Dei virtute peccata remittit, & homines ex iniuſtis iuſtos reddit, quam eandem in excitandis mortuis,& in mundi creatione neceſſariam eſſe credimus:quin etiam vt D. Auguſt. ſententia Tra. 71. in Ioan. cõfirmatur,maius opus eſtimandum eſt, aliquem ex impio pium facere, quàm cælum & terram ex nihilo creare,cùm ipſa creatio,non niſi ex infinitæ virtute poſſit exiſtere; conſequens eſt,vt multò magis remiſsio peccatorum infinitæ potentiæ tribuenda ſit: à nobis tamen cum timore Domini, Indulgentia,definitionibus deſcriptiuis,prout intellectus humanus concipere & apprehendere poteſt, & prout communiter à Patribus, & à Doctoribus in Scholis ſolet definiri, definitur.

SACROSANCTVM CONCILIVM TRIDENTINVM, Seſsione vigeſima prima capite nono de Reformatione: Indulgentias, CAELESTES THESAVROS, appellat.

Pro definitionis huius euidentia ſciendum, quia Spiritus Sanctus in ſcripturis, tam veteris quàm Noui teſtamenti,Indulgentias theſaurum appellat. In Veteri teſtamento Nume. ca. 20. Dominus ad Moyſen dicit: *Aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt ſatiati ceſſet murmuratio eorum.* hæc ſunt per allegoriam de Indulgentijs dicta.

In NOVO TESTAMENTO Matth. cap 13. *Simile eſt regnum cælorum,* id eſt, Eccleſia Catholica militans, *theſauro abſcondito*, id eſt, Indulgentiis, quæ latent, *& ſunt abſconditæ à ſapientibus & prudentibus*, id eſt, ſuperbis, præſumptuoſis, & inflatis hæreticis, & qui nolunt audire, obedire eccleſiæ. *Sed reuelantur paruulis*, id eſt, mitibus, pœnitentibus, manſuetis, & humilibus Catholicis, *in agro*, id eſt, in paſsione & meritis redemptoris & ſaluatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, beatæ dei genitricis virginis Mariæ, & omnium electorum, à primo iuſto, vſq; ad vltimum, hoc eſt capitis & membrorum.

Dicitur autem hic theſaurus cæleſtis, ad differentiam theſauri terreſtris: vnde ſaluator Matth: cap. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.*

Dicitur etiam hic theſaurus Indulgentiarum cæleſtis: *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio.* Iacob. cap. 1.

Hunc theſaurum cœleſtem, Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus filius

ſtus filius Deí viui, hinc abiens in regionem longinquam accipere regnum & reuerti, depoſuit, ſeruauit, & reliquit in Eccleſia Catholica: claues autem cæleſtes ad hunc cæleſtem theſaurum vnà cum admirabili virtute, & authoritate; tum diſpenſationem cum magna prudentia & fidelitate credidit, & tradidit Summo Pontifici Romano, ſuo Vicario & Eccleſiæ paſtori Petro, ſic dicens Matth. 10. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prænalebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

Caietanus in opuſculo 21. Quæſtionum quæſt. 1. definit ſic: *Indulgentia eſt quædam abſolutio & remiſſio reſpectu illius, qui Indulgentias ſuſcipit: quia ille non ſoluit: ſed eſt ſolutio reſpectu Chriſti, & ſanctorum, qui ſoluerunt pro eo.*

Idem alibi: *Indulgentia eſt relaxatio pœnitentiæ iniunctæ.* Atqui nunc conceditur etiam quantum non ad iniunctam pœnitentiam.

Dominicus a soto Diſtinct. 21. Queſt. 1. Artic. 1. definit ſic: *Indulgentia Eccleſiaſtica eſt relaxatio pœnæ peccato debitæ, quæ fit extra ſacramenta.*

Legitur extra de Pœnitent. & Remiſs. cap. Quod autem. &c. *Indulgentia eſt quædam remiſſio pœnæ debitæ pro peccato, poſt contritionem habitam de eo.* Et hac communiter vtuntur Theologi.

Hannibal Roselli in libro de Sacramentis Diſtincti. 13. cap. 1. *Indulgentia eſt relaxatio pœnæ, quam quis iuſtè pro culpis ſubire, & pati debuiſſet, & eſt ſolutio ex publico theſauro Eccleſiæ ad perſoluendam diuinam iuſtitiam ſumpta, & pœnitenti applicata.*

Item, *Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis debitæ pro peccato actuali iam dimiſſo, conceſſa exiſtenti in gratia, de theſauro Eccleſiæ à Prælato data. Dicitur pro peccato actuali, ad differentiam peccati originalis, quod remittitur per Baptiſmum, vnà cum pœna damni: ſicut in indulgentia remittitur peccatum actuale vnà cum pœna ſenſus.*

Idem, *Indulgentia eſt ordinaria pœnæ diuinæ temporalis, id eſt, quæ iuxta diuinas leges facta iuſtificatione in animo perſeuerat, vel ex peccato veniali contrahitur ex alienis meritis extra ſacramentum, Eccleſiaſtica authoritate facta compenſatio.*

Ordinaria, inquit, *pœnæ compenſatio, in quo à Canonicis pœnis & cenſuris, quæ iudiciali abſolutione diſponuntur, ſecernitur extra ſacramenta: quia non ita hoc negotium agitur, ſicut in ſacramento abſolutionis, ſiue ſacramento pœnitentiæ.*

Item, *Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis, poſt confeſſionem, iuſtificationem, & reconciliationem debitæ.* Item,

Item, *Indulgentia, eſt quædam ſatisfactio ex alienis operibus pœnalibus, qua homo ſancta quadam metamorphoſi transformatur in nouam creaturam iuxta illud Pſalm. 50. Lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Caput V.

DE DIVISIONE.

Ex Dominico à Soto Diſtinctione 21. Quæſtione 1. Articulo 1.

Indulgentia eſt duplex.
- *Latina ſiue communiter dicta, eſt duplex.*
  - *Naturalis, de qua Verg. 2 Georg.*
  - *Moralis eſt duplex, de qua Verg. 4. Æne. Indulge hoſpitio cauſaſq́ innecte morandi.*
    - *Ethica eſt, quoties alicuius liberius dicta, in bonam partem interpretamur*
    - *Politica eſt duplex.*
      - *Ciuilis ſiue publica, ſic Princeps indulget ſubditis, Senatus ciuibus.*
      - *Domeſtica ſiue priuata, ſic pater indulget filio, mater filiæ, dominus familiæ.*
- *Eccleſiaſtica, ſiue propriè dicta, & eſt duplex.*
  - *Vniuerſalis.*
  - *Particularis.*

Item alia eſt indulgentia ſimpliciter, & alia ſecundùm quid. Indulgentia ſimpliciter, datur extra ſacramenta: Indulgētia ſecundùm quid, mediante ſacramento Pœnitentiæ.

Item, alia eſt actiua, & alia paſsiua. Actiua eſt quam dat Pontifex: Paſsiua eſt quam recipit ſubditus Pontificis.

Nota-

NOTABILE SECVNDVM.
Caput I.

QVàm multiplex, & quid ſit indulgentia, iam diximus. Sequitur, vt indulgentiarum antiquitatem cum poteſtate, & quomodo ſancta mater Eccleſia Catholica ſemper fuit in poſſeſsione, & vſufructus indulgentiarum, traditione, authoritate ſcripturæ, Conciliorum & teſtimoniis, ac exemplis ſanctorum Patrum, contra hæreticos comprobemus. Quod priuſquàm facimus, cauſam apoſtaſiæ Lutheri, & cauſam, cur contra indulgentias Eccleſiaſticas inſurrexerit, cur inuectus & bacchatus fuerit, & cur eaſdem impiè blaſphemauerit, breuiter oſtendamus.

GABRIEL PRATEOLVS MARCOSSIVS, ſacræ Theologiæ Doctor, libro 10. hæreſum, titulo Lutherani, ſcripſit ſic. *Lutherum, turbarum omnium Germaniæ cauſam eſſe, fatetur Ioachimus Camerarius, (ſi fidem meretur Ioannes Soltzius) culpamq́; omnium ærumnarum, quibus adhuc conflictatur Reſpub. transfert in illius contentiones. Illud ergo nouæ doctrinæ genus, cum magna ingenioli oſtentatione, maximaq́; iactaret verborum contentione Lutherus; contigit Leonem Romanum Pontificem, templi Romæ D. Petro à Iulio Secundo inchoati, tandem abſoluendi, aut (vt ait Tilius) Turcici belli cauſa indulgentias, atq; peccatorum condonationes, ſiue pœnarum relaxationes, elargiri: quas Archiepiſcopo Moguntino per Germaniam credidit diſtribuendas. Has Auguſtiniani commendatas ſolebant populo proponere. Verùm Moguntinus hoc tempore, illas ad Dominicanos tranſtulit inuulgandas: vnde ſimultas inter illorum mendicantium ordines, haud ſanè leuis exorta fuit. Lutherus, vt erat ingenio acri, vbi quæſtum ad ſe, ſuoſq́; redire ſolitum, aliò, cum animi dolore, reiq́; culinariæ detrimento, videret tranſlatum, cùm non valeret eripere; ſtuduit ſaltem impedire, aliiſq́; optatam illam prædam imminuere; vt ſi totam non excuteret, ſaltem maiori ex parte auerteret. Publicè igitur Anno Domini* 1516. *Lutherus in indulgentiarum vim atque efficaciam inter concionandum, magna cum animi contentione eſt inuectus: huic turbæ frigidam ſuffundebat Staupetius Auguſtinianorum Prouincialis, vehementer illis obtrectans, earumq́; vim extenuans.*

Contrà TETZELIVS *Dominicanus, ſua pro authoritate illas propugnabat & defendebat. Mutuis ergo & contrarijs aſſertionibus populo Saxoniæ dubitandi anſam præbuère, opinionibus per contentionum ſtudia, in peius declinantibus; cùm Lutherus initiò indulgentiarum potius abuſum quàm*

legitimum earum vſum, quem antea laudârat, fuerit inſectatus, qui & ipſe, cum ſuis, ob earum promulgationem, maximoperè ſpeciatum ſoliti iam quæſtus lucrū multò ſanè maximum captâret. Hac igitur inter ipſos oborta, cum infirmorū ſcandalo, contentione, de indulgentiarum viribus & efficacia, Eccleſiæ pax atq; fidei vnitas, dolendum in modum, cum certa plurimorum Chriſtianorum pernicie, fuit has in ſectiones diuulſa, atq; interturbata. Hæc Prateolus.

Caput II.

PRIMÒ PROBANTVR INDVLGENTIAE, TRADITIONE SANCTORVM PATRVM CONTRA HAERETICOS.

Quia Traditio eſt origo ſacræ ſcripturæ Exod. 4. & 2. Pet. 1. &c. idcirco primò traditione probabimus Indulgentias. Probabimus autem in genere ſiue in communi & vniuerſali: quia vniuerſale eſt cauſa ſuorum ſingularium, teſte Ariſtotele lib 1. Poſteriorum.

BEATVS PAVLVS Apoſtolus 2. ad Theſ. ca. 2. dicit: *State & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonē, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Et hoc nomine laudat ſuos Corinthios, 1. Corint. 11. quòd Apoſtolica pręcepta, quę viua voce tradita iam acceperant, ſedulò cuſtodirent. Tum admonet Theſſalonicenſes 2. ad Theſſal. 3. vt ab omni ſe fratre ſubducant, qui inordinatè, & non ſecundùm traditionem ab Apoſtolis acceptam ambulat.

Huius præcepti memores Sancti Patres, ſemper vbiq; traditionum Dei, & ſanctæ matris Eccleſiæ, fuerunt & ipſimet obſeruantiſsimi: & vt à ſuis perpetuò obſeruarentur, ſedulò operam dabant: inde multa de traditione ſcripſerunt.

TERTVLLIANVS, de corona militis, poſtquam enumerauit multas ſpecies traditionum, infert & concludit: *Harum & aliarum huiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules, ſcripturam nullam inuenies: traditio tibi prætendatur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. &c.* Et paulò pòſt: *His igitur exemplis renunciatū erit, poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſeruatione defendi, confirmatam conſuetudine idonea teſte, probatæ tunc traditionis ex perſeuerantia obſeruationis. Conſuetudo autem, etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex.*

D. HIERONYMVS in Epiſtolis. *Ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt.*

D. AVGVSTINVS in Epiſtolis: *Si quid diuinæ ſcripturæ præſcribit authòritas,*

thoritas, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus. Similiter etiam, ſi quid per orbem frequentet Eccleſia: nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Idem Epiſtola 86. *In his*, inquit, *de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei, & ſtatuta maiorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut præuaricatio diuinarum legum; ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coërcendi ſunt.*

Item de Ciuitate Dei lib. 19. cap. 18. *Vnde*, inquit, *certa fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ ſcripturis expreſſè ſunt prodita; ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negotijs per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legittimè congregata.*

Leo Magnvs, Sermone 1. de Ieiunio Pentecoſtes ait: *Dubitandum non eſt, quidquid in Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis retentum, de traditione Apoſtolica, & de Sancti Spiritus prodiêre doctrina.*

Irenaevs lib. 4. contra hæreſes cap. 43. *Obaudire oportet Presbyteris Eccleſiæ, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui, cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma, veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus vt hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes.*

Origenes, qui celebris & peruetuſtus eſt author, ita ſcripſit ſuper Epiſtolam ad Titum: *Hæreticus nobis habendus eſt omnis ille, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quàm habeat definitio traditionis Eccleſiaſticæ.*

Idem lib. 1. Periarchon. *Illa ſola credenda eſt veritas*, inquit, *quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.*

D. Chrysostomvs, in 2. Theſſa. 2. Homilia 4. in illa verba: *State, & tenete traditiones. Hinc patet, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint; ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt, tàm illa quàm iſta: itaq; traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus.* Traditio est, nihil qvaeras amplivs. Cuius rei cauſam adfert D. Baſilius li. 8. de Spi. ca. 27. *Hæc*, inquit, *eſt ratio, cur quædam citra ſcripturam tradita ſunt, ne dogmatum cognitio, propter aſſuetudinem, vulgo veniret in contemptum.*

Idem D. Basilivs, ibidem: *Quæ in Eccleſia prædicantur*, inquit, *quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis*

ſanè & tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura Eccleſiaſtica: nam, ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudentes; et ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Et paulò pòſt: *Aliud*, inquit, *eſt δόγμα & aliud κήρυγμα. Dogmata*, inquit, *ſilentio teguntur: κηρύγματα publicè prædicantur.* Hæc Baſilius.

Conſtat igitur traditionem, & ſcripturam eandem vim & authoritatem habere, atq; adeò traditione ipſa magis ſpirituale quid, vt Dionyſius, magis autem arcanum, vt Baſilius docet, contineri.

THEOPHILACTVS, ſuper 2. Theſ. 2. in illa verba: *State & tenete traditiones. Vel hinc etiam perſpicuum eſt, quod plerag; etiam ſine ſcriptis per ſermonem, id eſt viua voce tradiderunt, non ſolùm per Epiſtolam. Similiter autem & hæc, & illa fide digna ſunt. Itaq; & Eccleſiæ traditionem fide dignam exiſtimamus: traditio eſt, nihil amplius quæras.*

CONCILIVM SECVNDVM NICOENVM Actione 7. in ipſa definitione. *Fatemur autem vnanimiter, nos Eccleſiaſticas traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes, & decretas retinere velle, quarum de numero eſt imaginum effiguratio*, & indulgentiarum conceſsio ſecundùm Concilium Tridentinũ Seſs. 25. Decreto de Indulgentiis. Et infrà. *Igitur, qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Eccleſiaſticas traditiones contaminare, aut contra iſta vafrè & improbè aliquid excogitare, quod ſit contra conſtitutionem Eccleſiaſticam, ſi fuerint Epiſcopi, aut Clerici deponuntor: ſi monachi aut laici, communione priuantor.* Et paulò pòſt. *Si quis traditionem Eccleſiæ, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentem, non curauerit, anathema ſit.*

Caput III.

PROBANTVR INDVLGENTIAE AVTHORITATE SCRIPTVRAE VETERIS TESTAMENTI.

Si nullas ſcripturas haberemus, vti Dei gratia habemus: vel ſola antiquiſsima traditione, perpetua ſucceſsione, legittima poſſeſsione, & vſufructu matris Eccleſiæ Catholicæ, ſanctas indulgentias, benè & iuſtè deffendere, atque luculenter, & ſufficienter contra hæreticos probare, Deo adiuuante, poterimus. Sed neque ſcripturæ deſunt, quibus indulgentiæ comprobantur: communes quidem authoritates ſcripturę ſunt illæ; quia Deus Opt. Max. promiſit nobis indulgentiam:

tiam; ſed ſub conditione, ſi videlicet, nos ad Dominum Deum noſtrum fuerimus ex animo conuerſi. Sic namque Dominus per Iſaiam cap. 1. dicit: *Lauamini & mundi eſtote, auferte malum cogitationum, etc.* Item Iſaiæ cap. 33. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas:* quem locum patres Cathechiſmi Romani de indulgentiis accipiunt.

Item Ezechielis cap. 11. 18. & 36. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit vniuerſa præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur: in iuſtitia, quam operatus eſt, viuet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis & viuat? Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius; nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione ſua, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur.* Item Ezechielis 37. *Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſraël, etc. vſque ad finem capitis.*

Item Oſeæ cap. 14. *Hæc dicit Dominus Deus, Couerte Iſraël ad Dominum Deum tuum: quoniam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Aſſur non ſaluabit nos, ſuper equos non aſcendemus, nec dicemus vltra, dij noſtri, opera manuum noſtrarum: quia eius qui in te eſt, miſereberis pupilli. Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontaneè, quia auerſus eſt furor meus ab eis. Ero quaſi ros Iſraël, germinabit quaſi lilium, & erumpet radix eius vt Libani: Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur ſedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale eius ſicut vinum Libani. Ephraim quid mihi vltra idola? Ego exaudiam & dirigam eum ego, vt abietem virentem, ex me fructus tuus inuentus eſt. Quis ſapiens & intelliget iſta? intelligens: & ſciet hæc, quia rectè viæ domini, & iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.*

Item Ioel cap. 1. *Hæc dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, in fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra: & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malicia. Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium, & libamen Domino Deo noſtro?*

Item Zachariæ cap. 8. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Sicut cogitaui, vt affligerem vos, cùm ad iracundiam me prouocaſſent patres veſtri, & non ſum miſertus; ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt benefaciam domui*

am domui Iuda, & Ieruſalem : nolite timere. Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatem vnusquiſq; cum proximo ſuo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portibus veſtris, & vnusquiſq; malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus. Et factum eſt verbum domini exercituum ad me dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi, erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in ſolennitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite, dicit Dominus exercituum.

Ex his & aliis plurimis Sacræ ſcripturæ authoritatibus, manifeſtum eſt; quia Deus Opt. Max. promiſit conuerſis pœnitentibus indulgentiam: vnde Dauid Pſal. 144. *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Et Apoſtolus ad Heb. cap. 10. *Fidelis enim eſt, qui repromiſit.* Et paulò poſt ibid. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt; vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

Caput IIII.

QVOMODO PROMITTIT, ET QVOMODO DAT DEVS INDVLGENTIAM.

EZechielis 36. *Idcirco dices domui Iſraël, Hæc dicit dominus Deus: Non propter vos ego faciam domus Iſraël; ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus, ad quas intraſtis: Et ſanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum eſt inter gentes, quod polluiſtis in medio earum; vt ſciant gentes, quia ego dominus: dicit dominus exercituum, cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idôlis veſtris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: Et auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri. Et faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini: & habitabitis in terra quam dedi patribus veſtris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Et ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem: Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, vt non portetis vltra opprobrium famis in gentibus: Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumq; non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra: Non propter vos*

pter vos ego faciam, ait dominus Deus, notum ſit vobis: confundamini & erubeſcite ſuper viis veſtris domus Iſraël. Hæc dicit dominus Deus, in die qua mundauero vos, ex omnibus inquinamentis veſtris etc. ſcient gentes &c. quia ego Dominus locutus ſum. Propterea Dauid Pſalmo 24. orat his verbis: *Propter nomen tuum domine, propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Et 1. Ioan. cap. 2. *Scribo vobis filioli, quoniam remittentur vobis peccata, propter nomen eius.*

Caput V.

Orant Conversi pro Indvlgentia.

Sciuit hanc bonitatis plenam promiſsionem Dei Manaſſes Rex Iuda, propterea 2. Paralipomenon 36. cùm teneretur captus in Babylone ſic orat: *Tu domine, ſecundùm multitudinem bonitatis tuæ, promiſiſti pœnitentiam & remiſsionem iis, qui peccauerunt tibi: & multitudine miſerationum tuarum, decreuiſti pœnitentiam peccatoribus in ſalutem.*

Sciuit Iudith, ſicut ſcriptum eſt Iudith cap. 8. *Poſuiſtis vos tempus miſerationis domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei: ſed quia patiens eſt dominus, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lacbrymis poſtulemus: non enim quaſi homo, ſic Deus cominabitur: nec ſicut filius hominis, ad iracūdiam inflammabitur: & ideò humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi, dicamus flentes domino; vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum citò miſericordiam ſuam; vt ſicut conturbatum eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum; ita etiam de noſtra humilitate gloriemur.* Sciuit Rex & Propheta Dauid, propterea Pſalm. 38. orat pro indulgentia, teſte D. Ambroſio, dicens: *Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.*

Item Pſal. 50. *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me etc.*

Item Pſal. 84. *Benedixiſti domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis, etc.*

Item Micheæ cap. 7. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet vltra furorem ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt: Reuertetur & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra: dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraam, quæ iuraſti*

patribus noſtris à diebus antiquis.

Non ſolùm autem orant, ſed abſoluti & conſolati gratias agunt: Sic Dauid Pſalmo 101. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit dominum. Quia proſpexit de excelſo ſuo, dominus de cælo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios interemptorum, &c.*

Item Pſal. 102. *Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, &c.*

Et infra ibid. *Quoniam ſecundùm altitudinem cæli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorũ; miſertus eſt dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum etc.* Hinc illud Pſalm. 145. *Dominus ſoluit compeditos, dominus illuminat cæcos. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos.* Et illud, Pſal. 146. *Dominus ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

Et illud Pſal. 147. *Lauda Ieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit* ſecundùm ſuam diuinam indulgentiam *filiis tuis in te. Qui poſuit finis tuos pacem*, pax eſt effectus indulgentiæ, ſicut & benedictio, &c.

Item Iſaiæ 63. *Miſerationum domini recordabor, laudem domino ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudine bonorum domui Iſraël, quæ largitus eſt eis ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum: & dixit: verùmtamen populus meus eſt, filij non negantes, & factus eſt eis ſaluator: in omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos in dilectione ſua, & indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſeculi.*

Sic Anna 1. Regum cap. 2. Gratias agit pro Indulgentia: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo: Dilatatum eſt os meũ ſuper inimicos meos; quia lætata ſum in ſalutari tuo. Non eſt ſanctus vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter.*

Sic Iſaiæ cap. 12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.*

Notas

Notas facite in populis adinuentiones eius. Mementote, quoniam excelſum eſt nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, nunciate hoc in vniuerſa terra. Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.

Caput VI.

Exempla ponuntur Indulgentiarum in Veteri Testamento.

VIdimus ſcripturas, quibus probatũ eſt Indulgentias in veteri lege fuiſſe datas Patribus: quia, quod alicui Deus promittit, dat. Videamus exempla Indulgentiarum, & diſcamus antiquitatem indulgentiarum.

Primus formatus à Deo pater orbis terrarum Adam peccauit, & ſcriptura Sapient. cap. 10. dicit: *Quia Deus eum cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.*

Item Exod. cap 32. Peccatũ idololatrię peccauit populus in deſerto: orauit Moyſes pro peccato populi dicẽs: *Obſecro Domine, peccauit populus iſte peccatum maximum, feceruntq; ſibi Deos aureos: aut dimitte eis hãc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quẽ ſcripſiſti. Cui reſpondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem vade, et duc populum iſtum, quò loquutus ſum tibi, angelus autẽ meus præcedet te.*

Similiter legimus Numerorum cap. 11. quia peccauit Moyſes & Aaron peccatum diffidentiæ, & Dominus pepercit illis. Item, 1. Regum cap. 1. exemplum in Helcana & Anna vxore eius.

Item, 2. Regum cap. 12. Peccauit Dauid peccatum adulterij & homicidij; quia Bethſabee vxorem Vriæ accepit, & Vriam virum iuſtum occidi fecit. Quod cùm Nathan Propheta exprobrâſſet Dauid, *tum dixit Dauid ad Nathan: peccaui Domino: dixitq; Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.*

Item, Peccauit Salomon 3. Regum cap. 11. & Dominus propter patrem Dauid pepercerat illi.

Item, 3. Regum 21. Peccauit Achab, quia occidit Vriam. ſed quia humiliauit ſe coram Domino, & Elia ſeruo eius, quia pœnitentiam egit, hoc eſt, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite, Dominus non induxit malum in diebus eius; ſed in diebus filij ſui.

Item 4. Reg. cap. 20. & Iſaiæ cap. 38. Propter peccatum ingratitudinis, quia non egit gratias Deo pro victoria Rex Ezechias, *ægrotauit vſq; ad mortem, & intrauit ad eum Iſaias Propheta, & dixit ei: Diſpone domui*

Caput II.

DE NOMINIBVS INDVLGENTIARVM.

EXprimuntur autem indulgentiæ alijs diuerſis vocabulis, vt ſcribit frater Oſualdus libro 4. Roſarij Theologiæ, & alij: nam Indulgentia dicitur Carena, à carentia conuerſationis hominum, vel etiam cibariorum: nam illis quadraginta diebus homines includuntur in aliquo loco ſecreto iuxta Eccleſiam, vbi non habent conſortium hominum: vnde colligitur ex geſtis Summorum Pontificum, quia differentia eſt inter ſeptenam, vel ſeptenariam quadragenam, & carenam, quæ etiàm Carentena aliquando dicitur. Nam CLEMENS Papa primus conſtituit QVADRAGENAM, per quam deſignauit pœnitentiam quadraginta dierum cum ſeptem annis ſequentibus, quam pœnam iniungebat ratione vnius peccati mortalis; ita quòd per iſtos ſeptem dies, pœnitentes excludebantur ab Eccleſia, & incedebant capite diſcooperto ſparſo cinere, & poſt eoſdem dies iniungebatur illis pœnitentia ſeptennis. De quo vide latius alios, & fratrem Oſualdum, vbi ſupra & intra hos annos ſeptem, non vtebantur carnibus, nec vino, nec lecto, nec balneo; ſed dormiebant in terra aſperſa, vel lapide: Et expletis illis annis, tunc primum licuit ipſis communicare corpore Dominico.

SEPTENAM, INNOCENTIVS PAPA PRIMVS, iniungebat pro vno peccato mortali: & pœnitentia huiuſmodi vocabatur ſeptenaria, vel ſeptena Innocentij. Et quid pœnitentes ſingulis illis pœnitentiæ diebus facere tenebantur, legito apud alios.

Sed CARENA, ſiue Carentena erat pœna includens pœnitentiam Quadragenæ & ſeptenæ: quia ſic pœnitentes abſtinebant à cibis, & à conuerſatione hominum, & ieiunabant in pane quadraginta diebus; licèt modò Canones pœnitentiales ſint arbitrij, pœnæq; arbitrariæ.

Modò autem Papa dans Quadragenam, vel Septenam, vel Carentenam, ſiue Carenam, in literis Indulgentiarum; vult & intendit abſoluere illos, qui faciunt quod in ſe eſt, & ſeruant præcepta Indulgentiæ, & qui debitè vtuntur indulgentijs, vel tantam gratiam remiſsionis conferre, quantã iſti per pœnitentias meruerunt: & ſic per annum pœnitentialem, confert tantam gratiam remiſsionis, quantam homo meretur per ſe pœnitendo per annum.

Quibuſdam etiam aliquando datur propter rationabilem cauſam abſolutè, ſine pœnitentia & confeſsione.

Hìc, ſi fortè quis quærat, quid eſt facere, quod in ſe eſt? Reſpondet Alexander

det Alexander de Ales, parte 3. quæſtione 69. Articulo 3. *Ad videndum*, inquit, *quid eſt facere quod in ſe eſt, eſt notandum, quòd in quolibet homine per naturam eſt recta ratio: & hæc rectitudo boni, eſt notio indita à creatore, qua quælibet anima poteſt cognoſcere ſuum principium, ſcilicet Deum, ſecundùm illud Pſalm. 99. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Per hoc enim, quòd quodlibet naturaliter ſcit ſe non ſemper fuiſſe, ſcit ſe factum eſſe, & ita ſcit ſe habere principium, & ſcit quòd ab illo in principio habet quidquid habet, & non à ſe. Scit etiam quòd ab illo debet petere bonum, quodq́; per illum debent ſuppleri omnes ſui defectus. Si ergo ſecundùm iſtam notionem operatur homo ſuo arbitrio, recurrendo ad illum, quem ſcit ſuum eſſe principium, & quem ſcit eſſe adorandum, & petit ab illo lumen cognitionis fidei & boni; facit quod in ſe eſt, & hoc eſt facere, quod in ſe eſt generaliter in quolibet homine. Plus autem eſt in fideli exiſtente in peccato mortali de lumine: quia ipſe habet fidem informem: quia ſine charitate. Hæc autem fides informis, mediat ad duo: ſcilicet ad diuinam iuſtitiam damnantem reprobos; & ad diuinam miſericordiam ſaluantem iuſtos: ex primo creabitur timor in eo, & ex ſecundo ſpes.* Et hoc eſt facere, quod in ſe eſt, vt docet Alexander de Ales, loco ſuperius allegato.

Porrò, peccatori facienti quod in ſe eſt, dat Deus gratiam, quam non daret, niſi quod in ſe eſt faceret, ſecundùm illud Zacha. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et Iaco. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

Caput III.

DISTINGVITVR MVLTIPLEX.

MAGISTER SENTENTIARVM lib. 4. Diſtin. 26. annotauit: quia vocabulum Indulgentię in ſacra ſcriptura eſt multiplex: nã diuerſis modis accipitur. PRIMÒ, pro conceſsione gratiæ.

SECVNDÒ, pro remiſsione pœnæ, pro venia, pro remiſsione peccatorum.

TERTIÒ, pro permiſsione. Et eſt permiſsio in Nouo Teſtamento de minoribus bonis, & de minoribus malis. De minoribus bonis eſt coniugium, quod non meretur palmam, ſed eſt in remedium. De minoribus malis, id eſt de venialibus eſt coitus, qui fit cauſa incontinentiæ. Illud, ſcilicet coniugium, indulgetur, id eſt, conceditur: illud verò, id eſt, coitus talis permittitur, id eſt, toleratur, ita quòd non prohibetur.

QVARTÒ, pro diſpoſitione.

QVINTÒ, pro auctoramento, vel remedio, quod valet ad mulctæ liberationem.

Similiter ORIGENES, Homelia ſecunda ſuper Leuit. cap. 1. & 2. (quem locum nos obſeruabimus diligenter contra Nouatianos: & illam authoritatem, quam pro ſe trahunt, ex Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræ. 6.) obſeruat, & ſcribit, quia vocabulum indulgentiæ, ſeu remiſsionis eſt multiplex, vbi inter alia ſic dicit. *Sed fortaſsè dicant auditores Eccleſiæ. Melius ferè agebatur cum antiquis quàm nobiſcum, vbi oblatis diuerſo ritu ſacrificijs, peccantibus venia præſtabatur; apud nos vna tantùmmodo venia eſt peccatorum, quæ per lauacri gratiam in initijs datur, nulla poſt hæc peccanti miſericordia, nec venia vlla conceditur. Decet quidem diſtrictioris eſſe diſciplinæ Chriſtianum, pro quo Chriſtus oblatus eſt: pro illis oues, hirci, boues, iugulabantur, & aues, & ſimilia conſpergebantur; pro te Dei filius iugulatus eſt, & iterum te peccare delectat? Et tamen, ne tibi hæc non tam erigant animos pro virtute, quàm pro deſperatione deijciant, audiſti, quanta ſint in lege ſacrificia pro peccatis, audi nunc quantæ ſint remiſsiones peccatorum in Euangelio.*

Eſt iſta PRIMA, *qua baptizamur in remiſsionem peccatorum.*

SECVNDA *remiſsio eſt in paſsione martyrij.*

TERTIA, *quæ pro eleemoſyna datur: dicit enim Saluator. Luc.* 11. *Verùmtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

QVARTA, *nobis fit remiſsio peccatorum per hoc, quòd & nos remittimus peccata fratribus noſtris: ſic enim dicit ipſe Dominus & Saluator noſter Mat.* 18. *Quia ſi dimiſeritis fratribus veſtris ex corde peccata ipſorum, & vobis remittet pater veſter peccata veſtra. Quòd ſi nõ remiſeritis fratribus veſtris ex corde, nec vobis remittet pater veſter. Et ſicut in Oratione nos dicere docuit: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.*

QVINTA *remiſsio peccatorum eſt, cùm conuerterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ: ita enim dicit ſcriptura diuina Iac. cap.* 5. *Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum.*

SEXTA *quoque fit remiſsio per abundantiam charitatis, ſicut & ipſe dominus dixit, Lucæ* 7. *Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. & Apoſtolus* 1. *Petri* 4. *dicit: Quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

Eſt adhuc & SEPTIMA, *licèt dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſsio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte: & cùm non erubeſcit Sacerdoti domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundùm eum,*

qui

qui ait Pſal. 31. Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod Apoſtolus Iac. cap. 5. dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.

I. Et tu ergo cùm veneris ad gratiam baptiſmi, vitulum obtuliſti: quia in morte Chriſti baptizaris.

II. Cùm verò ad matrimonium duceris, hircum obtuliſti: quia authorem peccati diabolum iugulaſti.

III. Cùm verò eleemoſynam feceris, & erga indigentes affectum miſericordiæ ſollicita pietate dependeris, altare ſacrū hœdis pinguibus onerâſti.

IIII. Nam ſi ex corde remiſeris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore depoſito, mitem intra te, & ſimplicem recollegeris animum; immolaſſe te arietem, vel agnum in ſacrificium obtuliſſe, confide.

V. Porrò autem ſi diuinis lectionibus inſtructus meditando ſicut columba, & in lege Domini vigilando die ac nocte, ab errore ſuo conuertens peccatorem, & abiecta nequitia ad ſimplicitatem eum columbæ reuocaueris, atq; adhærendo ſanctis, feceris eum ſocietatem turturis imitari; par turturum, aut duos pullos columbarum Domino obtuliſti.

VI. Quòd ſi illa, quæ ſpe & fide maior eſt charitas, abundauerit in corde tuo, ita vt diligas proximum tuum, non ſolùm ſicut te ipſum, ſed ſicut oſtendit ille, qui dicebat Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; panes ſimilagineos, in charitatis oleo ſubactos, ſine vllo fermento malitiæ & nequitiæ, in azimis ſinceritatis & veritatis te obtuliſſe cognoſce.

VII. Si autem in amaritudine fletus tui fueris, luctu, lachrymis, & lamentatione confectus: ſi carnem tuam macerauerìs, & ieiunijs ac multa abſtinentia aridam feceris, & dixeris, quia ſicut frixorium confrixa ſunt oſſa mea; tum ſacrificium ſimilam à ſartagine, vel à craticula obtuliſſe tenueris. Et hoc modo inueneris tu verius & perfectius ſecundùm Euangelium offerre ſacrificia, quæ ſecundùm legem iam offerre non poteſt Iſrael.

Caput IIII.

DE DEFINITIONE.

Quemadmodum, vt dicit Cicero lib. 2. de Oratore, ad conſilium de Repub. dandum caput eſt noſſe Rempublicam; ita ad diſputationem (quā vellem ſub regula fidei ſobriam, & ad ædificationem) de Indulgentia caput eſt noſſe Indulgentiam, & quidnā ſit Indulgentia. Quamuis au-

ùis autem Indulgentia definiri definitione eſſentiali non poſsit; propterea quia conſtat (vt in Catechiſmo Romano ſcriptum eſt) quòd mater Eccleſia Catholica immenſa vi, & infinita Dei virtute peccata remittit, & homines ex iniuſtis iuſtos reddit, quam eandem in excitandis mortuis,& in mundi creatione neceſſariam eſſe credimus:quin etiam vt D. Auguſt. ſententia Tra. 71. in Ioan. cõfirmatur,maius opus eſtimandum eſt, aliquem ex impio pium facere, quàm cælum & terram ex nihilo creare,cùm ipſa creatio,non niſi ex infinitæ virtute poſſit exiſtere; conſequens eſt,vt multò magis remiſsio peccatorum infinitæ potentiæ tribuenda ſit: à nobis tamen cum timore Domini, Indulgentia,definitionibus deſcriptiuis,prout intellectus humanus concipere & apprehendere poteſt, & prout communiter à Patribus, & à Doctoribus in Scholis ſolet definiri, definitur.

SACROSANCTVM CONCILIVM TRIDENTINVM, Seſsione vigeſima prima capite nono de Reformatione: Indulgentias, CAELESTES THESAVROS, appellat.

Pro definitionis huius euidentia ſciendum, quia Spiritus Sanctus in ſcripturis, tam veteris quàm Noui teſtamenti,Indulgentias theſaurum appellat. In Veteri teſtamento Nume. ca. 20. Dominus ad Moyſen dicit: *Aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt ſatiati ceſſet murmuratio eorum.* hæc ſunt per allegoriam de Indulgentijs dicta.

In NOVO TESTAMENTO Matth. cap 13. *Simile eſt regnum cælorum*, id eſt, Eccleſia Catholica militans, *theſauro abſcondito*, id eſt, Indulgentiis, quæ latent, *& ſunt abſconditæ à ſapientibus & prudentibus*, id eſt, ſuperbis, præſumptuoſis, & inflatis hæreticis, & qui nolunt audire, obedire eccleſiæ. *Sed reuelantur paruulis*, id eſt, mitibus, pœnitentibus, manſuetis, & humilibus Catholicis, *in agro*, id eſt, in paſsione & meritis redemptoris & ſaluatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, beatæ dei genitricis virginis Mariæ, & omnium electorum, à primo iuſto, vſq; ad vltimum, hoc eſt capitis & membrorum.

Dicitur autem hic theſaurus cæleſtis, ad differentiam theſauri terreſtris: vnde ſaluator Matth: cap. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.*

Dicitur etiam hic theſaurus Indulgentiarum cæleſtis: *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio.* Iacob. cap. 1.

Hunc theſaurum cęleſtem, Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus filius

ſtus filius Dei viui, hinc abiens in regionem longinquam accipere regnum & reuerti, depoſuit, ſeruauit, & reliquit in Eccleſia Catholica: claues autem cæleſtes ad hunc cæleſtem theſaurum vnà cum admirabili virtute,& authoritate; tum diſpenſationem cum magna prudentia & fidelitate credidit, & tradidit Summo Pontifici Romano, ſuo Vicario & Eccleſiæ paſtori Petro, ſic dicens Matth. 10. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

CAIETANVS in opuſculo 21. Quæſtionum quæſt. 1. definit ſic: *Indulgentia eſt quædam abſolutio & remiſsio reſpectu illius, qui Indulgentias ſuſcipit: quia ille non ſoluit: ſed eſt ſolutio reſpectu Chriſti, & ſanctorum, qui ſoluerunt pro eo.*

Idem alibi: *Indulgentia eſt relaxatio pœnitentiæ iniunctæ.* Atqui nunc conceditur etiam quantum non ad iniunctam pœnitentiam.

DOMINICVS A SOTO Diſtinct. 21. Quæſt. 1. Artic. 1. definit ſic: *Indulgentia Eccleſiaſtica eſt relaxatio pœnæ peccato debitæ, quæ fit extra ſacramenta.*

Legitur extra de Pœnitent. & Remiſs. cap. Quod autem. &c. *Indulgentia eſt quædam remiſsio pœnæ debitæ pro peccato, poſt contritionem habitam de eo.* Et hac communiter vtuntur Theologi.

HANNIBAL ROSELLI in libro de Sacramentis Diſtincti. 13. cap. 1. *Indulgentia eſt relaxatio pœnæ, quam quis iuſtè pro culpis ſubire, & pati debuiſſet, & eſt ſolutio ex publico theſauro Eccleſiæ ad perſoluendam diuinam iuſtitiam ſumpta, & pœnitenti applicata.*

Item, *Indulgentia eſt remiſsio pœnæ temporalis debitæ pro peccato actuali iam dimiſſo, conceſſa exiſtenti in gratia, de theſauro Eccleſiæ à Prælato data. Dicitur pro peccato actuali, ad differentiam peccati originalis, quod remittitur per Baptiſmum, vnà cum pœna damni: ſicut in indulgentia remittitur peccatum actuale vnà cum pœna ſenſus.*

Idem, *Indulgentia eſt ordinaria pœnæ diuinæ temporalis, id eſt, quæ iuxta diuinas leges facta iuſtificatione in animo perſeuerat, vel ex peccato veniali contrahitur ex alienis meritis extra ſacramentum, Eccleſiaſtica authoritate facta compenſatio.*

Ordinaria, inquit, *pœnæ compenſatio, in quo à Canonicis pœnis & cenſuris, quæ iudiciali abſolutione diſponuntur, ſecernitur extra ſacramenta: quia non ita hoc negotium agitur, ſicut in ſacramento abſolutionis, ſiue ſacramento pœnitentiæ.*

Item, *Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis, poſt confeſsionem, iuſtificationem, & reconciliationem debitæ.* Item,

Item, *Indulgentia, eſt quædam ſatisfactio ex alienis operibus pœnalibus, qua homo ſancta quadam metamorphoſi transformatur in nouam creaturam iuxta illud Pſalm. 50. Lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Caput V.

DE DIVISIONE.

Ex Dominico à Soto Diſtinctione 21. Quæſtione 1. Articulo 1.

- *Indulgentia eſt duplex.*
  - *Latina ſiue communiter dicta, eſt duplex.*
    - *Naturalis, de qua Verg. 2. Georg.*
    - *Moralis eſt duplex, de qua Verg. 4. Æne. Indulge hoſpitio cauſaſq́ innecte morandi.*
      - *Ethica eſt, quoties alicuius liberius dicta, in bonam partem interpretamur*
      - *Politica eſt duplex.*
        - *Ciuilis ſiue publica, ſic Princeps indulget ſubditis, Senatus ciuibus.*
        - *Domeſtica ſiue priuata, ſic pater indulget filio, mater filiæ, dominus familiæ.*
  - *Eccleſiaſtica, ſiue propriè dicta, & eſt duplex.*
    - *Vniuerſalis.*
    - *Particularis.*

Item alia eſt indulgentia ſimpliciter, & alia ſecundùm quid. Indulgentia ſimpliciter, datur extra ſacramenta: Indulgẽtia ſecundùm quid, mediante ſacramento Pœnitentiæ.

Item, alia eſt actiua, & alia paſsiua. Actiua eſt quam dat Pontifex: Paſsiua eſt quam recipit ſubditus Pontificis.

Nota-

NOTABILE SECVNDVM.

Caput I.

QVàm multiplex, & quid ſit indulgentia, iam diximus. Sequitur, vt indulgentiarum antiquitatem cum poteſtate, & quomodo ſancta mater Eccleſia Catholica ſemper fuit in poſſeſsione, & vſufructus indulgentiarum, traditione, authoritate ſcripturæ, Conciliorum & teſtimoniis, ac exemplis ſanctorum Patrum, contra hæreticos comprobemus. Quod priusquàm facimus, cauſam apoſtaſiæ Lutheri, & cauſam, cur contra indulgentias Eccleſiaſticas inſurrexerit, cur inuectus & bacchatus fuerit, & cur eaſdem impiè blaſphemauerit, breuiter oſtendamus.

GABRIEL PRATEOLVS MARCOSSIVS, ſacræ Theologiæ Doctor, libro 10. hæreſum, titulo Lutherani, ſcripſit ſic. *Lutherum, turbarum omnium Germaniæ cauſam eſſe, fatetur Ioachimus Camerarius, (ſi fidem meretur Ioannes Soltzius) culpamq; omnium ærumnarum, quibus adhuc conflictatur Reſpub. transfert in illius contentiones. Illud ergo nouæ doctrinæ genus, cum magna ingenioli oſtentatione, maximaq; iactaret verborum contentione Lutherus; contigit Leonem Romanum Pontificem, templi Romæ D. Petro à Iulio Secundo inchoati, tandem abſoluendi, aut (vt ait Tilius) Turcici belli cauſa indulgentias, atq; peccatorum condonationes, ſiue pœnarum relaxationes, elargiri: quas Archiepiſcopo Moguntino per Germaniam credidit diſtribuendas. Has Auguſtiniani commendatas ſolebant populo proponere. Verùm Moguntinus hoc tempore, illas ad Dominicanos tranſtulit inuulgandas: vnde ſimultas inter illorum mendicantium ordines, haud ſanè leuis exorta fuit. Lutherus, vt erat ingenio acri, vbi quæſtum ad ſe, ſuosq; redire ſolitum, aliò, cum animi dolore, reiq; culinariæ detrimento, videret tranſlatum, cùm non valeret eripere; ſtuduit ſaltem impedire, aliisq; optatam illam prædam imminuere; vt ſi totam non excuteret, ſaltem maiori ex parte auerteret. Publicè igitur Anno Domini 1516. Lutherus in indulgentiarum vim atque efficaciam inter concionandum, magna cum animi contentione eſt inuectus: huic turbæ frigidam ſuffundebat Staupetius Auguſtinianorum Prouincialis, vehementer illis obtrectans, earumq; vim extenuans.*

Contrà TETZELIVS *Dominicanus, ſua pro authoritate illas propugnabat & defendebat. Mutuis ergo & contrarijs aſſertionibus populo Saxoniæ dubitandi anſam præbuère, opinionibus per contentionum ſtudia, in peius declinantibus; cùm Lutherus initiò indulgentiarum potius abuſum quàm*

legittimum earum vſum, quem antea laudârat, fuerit inſectatus, qui & ipſe, cum ſuis, ob earum promulgationem, maximoperè ſpemtum ſoliti iam quæſtus lucrũ multò ſanè maximum captâret. Hac igitur inter ipſos oborta, cum infirmorũ ſcandalo, contentione, de indulgentiarum viribus & efficacia, Eccleſiæ pax atq; fidei vnitas, dolendum in modum, cum certa plurimorum Chriſtianorum pernicie, fuit has in ſectiones diuulſa, atq; interturbata. Hæc Prateolus.

Caput II.

PRIMÒ PROBANTVR INDVLGENTIAE, TRADITIONE SANCTORVM PATRVM CONTRA HAERETICOS.

Quia Traditio eſt origo ſacræ ſcripturæ Exod. 4. & 2. Pet. 1. &c. idcirco primò traditione probabimus Indulgentias. Probabimus autem in genere ſiue in communi & vniuerſali: quia vniuerſale eſt cauſa ſuorum ſingularium, teſte Ariſtotele lib 1. Poſteriorum.

BEATVS PAVLVS Apoſtolus 2. ad Theſ. ca. 2. dicit: *State & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonẽ, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Et hoc nomine laudat ſuos Corinthios, 1. Corint. 11. quòd Apoſtolica præcepta, quæ viua voce tradita iam acceperant, ſedulò cuſtodirent. Tum admonet Theſſalonicenſes 2. ad Theſſal. 3. vt ab omni ſe fratre ſubducant, qui inordinatè, & non ſecundùm traditionem ab Apoſtolis acceptam ambulat.

Huius præcepti memores Sancti Patres, ſemper vbiq; traditionum Dei, & ſanctæ matris Eccleſiæ, fuerunt & ipſimet obſeruantiſsimi: & vt à ſuis perpetuò obſeruarentur, ſedulò operam dabant: inde multa de traditione ſcripſerunt.

TERTVLLIANVS, de corona militis, poſtquam enumerauit multas ſpecies traditionum, infert & concludit: *Harum & aliarum huiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules, ſcripturam nullam inuenies: traditio tibi prætendatur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. &c.* Et paulò pòſt: *His igitur exemplis renunciatũ erit, poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſeruatione defendi, confirmatam conſuetudine idonea teſte, probatæ tunc traditionis ex perſeuerantia obſeruationis. Conſuetudo autem, etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex.*

D. HIERONYMVS in Epiſtolis. *Ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt.*

D. AVGVSTINVS in Epiſtolis: *Si quid diuinæ ſcripturæ præſcribit authoritas,*

thoritas, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus. Similiter etiam, ſi quid per orbem frequentet Eccleſia: nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Idem Epiſtola 86. *In his*, inquit, *de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei, & ſtatuta maiorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut præuaricatio diuinarum legum; ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coërcendi ſunt.*

Item de Ciuitate Dei lib. 19. cap. 18. *Vnde*, inquit, *certa fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ ſcripturis expreſſè ſunt prodita; ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negotijs per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legittimè congregata.*

LEO MAGNVS, Sermone 1. de Ieiunio Pentecoſtes ait: *Dubitandum non eſt, quidquid in Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis retentum, de traditione Apoſtolica, & de Sancti Spiritus prodiêre doctrina.*

IRENAEVS lib. 4. contra hæreſes cap. 43. *Obaudire oportet Presbyteris Eccleſiæ, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui, cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma, veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus vt hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes.*

ORIGENES, qui celebris & peruetuſtus eſt author, ita ſcripſit ſuper Epiſtolam ad Titum: *Hæreticus nobis habendus eſt omnis ille, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quàm habeat definitio traditionis Eccleſiaſticæ.*

Idem lib. 1. Periarchon. *Illa ſola credenda eſt veritas*, inquit, *quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.*

D. CHRYSOSTOMVS, in 2. Theſſa. 2. Homilia 4. in illa verba: *State, & tenete traditiones. Hinc patet, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint; ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt, tàm illa quàm iſta: itaq; traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus.* TRADITIO EST, NIHIL QVAERAS AMPLIVS. Cuius rei cauſam adfert D. Baſilius li. 8. de Spi. ca. 27. *Hæc*, inquit, *eſt ratio, cur quædam citra ſcripturam tradita ſunt, ne dogmatum cognitio, propter aſſuetudinem, vulgo veniret in contemptum.*

Idem D. BASILIVS, ibidem: *Quæ in Eccleſia prædicantur*, inquit, *quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis*

 ſanè

ſanè & tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura Eccleſiaſtica: nam, ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudentes; et ea damnabimus, quæ in Euangelio neceßaria ad ſalutem habentur, imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Et paulò pòſt: *Aliud*, inquit, *eſt* δόγμα *& aliud* κήρυγμα, *Dogmata*, inquit, *ſilentio teguntur:* κηρύγματα *publicè prædicantur.* Hæc Baſilius.

Conſtat igitur traditionem, & ſcripturam eandem vim & authoritatem habere, atq; adeò traditione ipſa magis ſpirituale quid, vt Dionyſius, magis autem arcanum, vt Baſilius docet, contineri.

THEOPHILACTVS, ſuper 2. Theſ. 2. in illa verba: *State & tenete traditiones. Vel hinc etiam perſpicuum eſt, quod plenaq; etiam ſine ſcriptis per ſermonem, id eſt viua voce tradiderunt, non ſolùm per Epiſtolam. Similiter autem & hæc, & illa fide digna ſunt. Itaq; & Eccleſiæ traditionem fide dignam exiſtimamus: traditio eſt, nihil amplius quæras.*

CONCILIVM SECVNDVM NICOENVM Actione 7. in ipſa definitione. *Fatemur autem vnanimiter, nos Eccleſiaſticas traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes, & decretas retinere velle, quarum de numero eſt imaginum effiguratio*, & indulgentiarum conceſsio ſecundùm Concilium Tridentinũ Seſs. 25. Decreto de Indulgentiis. Et infrà. *Igitur, qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Eccleſiaſticas traditiones contaminare, aut contra iſta vafrè & improbè aliquid excogitare, quod ſit contra conſtitutionem Eccleſiaſticam, ſi fuerint Epiſcopi, aut Clerici deponuntor: ſi monachi aut laici, communione priuantor.* Et paulò pòſt. *Si quis traditionem Eccleſiæ, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentem, non curauerit, anathema ſit.*

Caput III.

PROBANTVR INDVLGENTIAE AVTHORITATE SCRIPTVRAE VETERIS TESTAMENTI.

Si nullas ſcripturas haberemus, vti Dei gratia habemus: vel ſola antiquiſsima traditione, perpetua ſucceſsione, legittima poſſeſsione, & vſufructu matris Eccleſiæ Catholicæ, ſanctas indulgentias, benè & iuſtè deffendere, atque luculenter, & ſufficienter contra hæreticos probare, Deo adiuuante, poterimus. Sed neque ſcripturæ deſunt, quibus indulgentiæ comprobantur: communes quidem authoritates ſcripturę ſunt illæ; quia Deus Opt. Max. promiſit nobis indulgen-

tiam:

tiam; ſed ſub conditione, ſi videlicet, nos ad Dominum Deum noſtrum fuerimus ex animo conuerſi. Sic namque Dominus per Iſaiam cap. 1. dicit: *Lauamini & mundi eſtote, auferte malum cogitationum, etc.* Item Iſaiæ cap. 33. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas:* quem locum patres Cathechiſmi Romani de indulgentiis accipiunt.

Item Ezechielis cap. 11. 18. & 36. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit vniuerſa præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur: in iuſtitia, quam operatus eſt, viuet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis & viuat? Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius; nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione ſua, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur.* Item Ezechielis 37. *Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſraël, etc. vſque ad finem capitis.*

Item Oſeæ cap. 14. *Hæc dicit Dominus Deus, Couerte Iſraël ad Dominum Deum tuum: quoniam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Aſſur non ſaluabit nos, ſuper equos non aſcendemus, nec dicemus vltra, dij noſtri, opera manuum noſtrarum: quia eius qui in te eſt, miſereberis pupilli. Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontaneè, quia auerſus eſt furor meus ab eis. Ero quaſi ros Iſraël, germinabit quaſi lilium, & erumpet radix eius vt Libani: Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur ſedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale eius ſicut vinum Libani. Ephraim quid mihi vltra idola? Ego exaudiam & dirigam eum ego, vt abietem virentem, ex me fructus tuus inuentus eſt. Quis ſapiens & intelliget iſta? intelligens: & ſciet hæc, quia rectè viæ domini, & iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.*

Item Ioel cap. 1. *Hæc dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, in fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra: & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malicia. Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium, & libamen Domino Deo noſtro?*

Item Zachariæ cap. 8. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Sicut cogitaui, vt affligerem vos, cùm ad iracundiam me prouocaſſent patres veſtri, & non ſum miſertus; ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt benefaciam domui*

am domui Iuda, & Ieruſalem : nolite timere. Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portibus veſtris, & vnuſquiſq; malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax negligatis. Omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus. Et factum eſt verbum domini exercituum ad me dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi, erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in ſolennitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite, dicit Dominus exercituum.

Ex his & aliis plurimis Sacræ ſcripturæ authoritatibus, manifeſtum eſt; quia Deus Opt. Max. promiſit conuerſis pœnitentibus indulgentiam: vnde Dauid Pſal. 144. *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Et Apoſtolus ad Heb. cap. 10. *Fidelis enim eſt, qui repromiſit.* Et paulò poſt ibid. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt; vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

Caput IIII.

QVOMODO PROMITTIT, ET QVOMODO DAT DEVS INDVLGENTIAM.

EZechielis 36. *Idcirco dices domui Iſraël, Hæc dicit dominus Deus: Non propter vos ego faciam domus Iſraël; ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus, ad quas intraſtis: Et ſanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum eſt inter gentes, quod polluiſtis in medio earum; vt ſciant gentes, quia ego dominus: dicit dominus exercituum, cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: Et auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri. Et faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini: & habitabitis in terra quam dedi patribus veſtris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Et ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem: Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, vt non portetis vltra opprobrium famis in gentibus: Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumq; non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra: Non propter vos*

pter vos ego faciam, ait dominus Deus, notum ſit vobis: confundamini & erubeſcite ſuper viis veſtris domus Iſraël. Hæc dicit dominus Deus, in die qua mundauero vos, ex omnibus inquinamentis veſtris etc. ſcient gentes &c. quia ego Dominus locutus ſum. Propterea Dauid Pſalmo 24. orat his verbis: *Propter nomen tuum domine, propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Et 1. Ioan. cap. 2. *Scribo vobis filioli, quoniam remittentur vobis peccata, propter nomen eius.*

Caput V.

ORANT CONVERSI PRO INDVLGENTIA.

SCiuit hanc bonitatis plenam promiſsionem Dei Manaſſes Rex Iuda, propterea 2. Paralipomenon 36. cùm teneretur captus in Babylone ſic orat: *Tu domine, ſecundùm multitudinem bonitatis tuæ, promiſiſti pœnitentiam & remiſsionem iis, qui peccauerunt tibi: & multitudine miſerationum tuarum, decreuiſti pœnitentiam peccatoribus in ſalutem.*

Sciuit Iudith, ſicut ſcriptum eſt Iudith cap. 8. *Poſuiſtis vos tempus miſerationis domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei: ſed quia patiens eſt dominus, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lacbrymis poſtulemus: non enim quaſi homo, ſic Deus cominabitur: nec ſicut filius hominis, ad iracūdiam inflammabitur: & ideò humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi, dicamus flentes domino; vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum citò miſericordiam ſuam; vt ſicut conturbatum eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum; ita etiam de noſtra humilitate gloriemur.* Sciuit Rex & Propheta Dauid, propterea Pſalm. 38. orat pro indulgentia, teſte D. Ambroſio, dicens: *Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.*

Item Pſal. 50. *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me etc.*

Item Pſal. 84. *Benedixiſti domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis, etc.*

Item Micheæ cap. 7. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet vltra furorem ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt: Reuertetur & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra: dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraam, quæ iuraſti*

Notas facite in populis adinuentiones eius. Mementote, quoniam excelſum eſt nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, nunciate hoc in vniuerſa terra. Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.

Caput VI.

EXEMPLA PONVNTVR INDVLGENTIARVM IN VETERI TESTAMENTO.

VIdimus ſcripturas, quibus probatũ eſt Indulgentias in veteri lege fuiſſe datas Patribus: quia, quod alicui Deus promittit, dat. Videamus exempla Indulgentiarum, & diſcamus antiquitatem indulgentiarum.

Primus formatus à Deo pater orbis terrarum Adam peccauit, & ſcriptura Sapient. cap. 10. dicit: *Quia Deus eum cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.*

Item Exod. cap 32. Peccatũ idololatrię peccauit populus in deſerto: orauit Moyſes pro peccato populi dicẽs: *Obſecro Domine, peccauit populus iſte peccatum maximum, feceruntq́; ſibi Deos aureos: aut dimitte eis hãc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quẽ ſcripſiſti. Cui reſpondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem vade, et duc populum iſtum, quò loquutus ſum tibi, angelus autẽ meus præcedet te.*

Similiter legimus Numerorum cap. 11. quia peccauit Moyſes & Aaron peccatum diffidentiæ, & Dominus pepercit illis. Item, 1. Regum cap. 1. exemplum in Helcana & Anna vxore eius.

Item, 2. Regum cap. 12. Peccauit Dauid peccatum adulterij & homicidij; quia Bethſabee vxorem Vriæ accepit, & Vriam virum iuſtum occidi fecit. Quod cùm Nathan Propheta exprobrâſſet Dauid, *tum dixit Dauid ad Nathan: peccaui Domino: dixitq́; Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.*

Item, Peccauit Salomon 3. Regum cap. 11. & Dominus propter patrem Dauid pepercerat illi.

Item, 3. Regum 21. Peccauit Achab, quia occidit Vriam. ſed quia humiliauit ſe coram Domino, & Elia ſeruo eius, quia pœnitentiam egit, hoc eſt, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite, Dominus non induxit malum in diebus eius; ſed in diebus filij ſui.

Item 4. Reg. cap. 20. & Iſaiæ cap. 38. Propter peccatum ingratitudinis, quia non egit gratias Deo pro victoria Rex Ezechias, *ægrotauit vſq; ad mortem, & intrauit ad eum Iſaias Propheta, & dixit ei: Diſpone*

domui

domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem ſuā ad parietem, & orauit ad Dominum, et dixit: Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te, in veritate & in corde perfecto, et quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno: Et factum eſt verbum domini ad Iſaiam dicens: Vade, et dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, et vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciam ſuper dies tuos quindecem annos, et de manu Regis Aſſyriorum eruam te, et ciuitatem iſtam, et protegam eam.

Item Ioël cap. 2. *Zelatus eſt Dominus terram ſuam, et pepercit populo ſuo.* Item Ionæ 3. *Dominus Niniuen ciuitati, iam iam propter peccata perituræ, pepercit: quia Niniuitæ coram domino, ad prædicationem Ionæ, ſeſe humiliauerunt, pœnitentiam egerunt, ieiunauerunt etc.* Poſsint & alia huiusmodi exempla, in veteri teſtamento inueniri: verùm ex aliis multis, nunc hęc ſufficiant, ad faciendam fidem: quia in veteri lege, Deus populo ſuo dabat indulgentias. Porrò, ſi tu dicas, quia Deus in veteri lege, frequenter legitur puniuiſſe delinquentes, & legis tranſgreſſores. Eſto ſanè. Ego verò reſpondeo: quia illa exempla, vbi Deus punit tranſgreſſores, facilius poſſunt numerari: contra iſtorum quibus pepercit copia eſt infinita, & innumerabilia ſunt exempla. Vnde Tobiæ 13. dicitur: *Conuertimini itaq; peccatores, & facite iuſtitiam coram Domino, credentes quòd faciat vobiſcum miſericordiam ſuam.* Et Ezechielis 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, et non erit vobis in ruinam iniquitatis. Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis. et facite vobis cor nouum, et ſpiritum nouum. Et quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: reuertimini et viuite.*

Caput VII.

PONVNTVR PROPHETIAE SVPER FVTVRIS INDVLGENTIIS IN NOVA LEGE.

Veteris teſtamenti Patriarchæ & Prophetę, quia magis Indulgentias habebant in ſpe, & mater Eccleſia Catholica in re: itaque à longè aſpicientes, ad vberiores & pleniores Indulgentias nouæ legis, ita de illis prophetabant.

Iſaias cap. 4. & 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris.* D. Albertus Magnus ſuper 13. caput Zachariæ, vbi adducit hæc verba dicit: *Fontes enim iſti manant aquas abſolutionis, in gratia ſacramētorum,*

et aquas

et aquas doctrinæ in verbo doctorum, et aquas refrigerij (vide indulgentias) *in conſolatione tentatorum, et aquas humectantes in rigatione aridorum.* Geneſis 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, qui hinc inde diuiditur in quatuor capita.*

Item, Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite abſq; argento, et abſque vlla commutatione, vinum et lac.*

Item, Zachariæ 12. *In illa die effundam ſuper domum Dauid, et ſuper habitatores Ieruſalem, ſpiritum gratiæ, et precum.*

Item, Zachariæ cap. 13. *In illa die erit fons patens domui Dauid, et habitatoribus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris.*

D. Albertus Magnus, ſuper iiſdem verbis, qui actualiter peccauit: *Actualia verò peccata ſacramento pœnitentiæ curantur, et ſanantur: pœna autem temporalis, tam pro actualibus, quàm venialibus, indulgentia relaxatur, & MENSTRVATAE.* Idem ſuper iisdem verbis, *per quod intelligitur originale peccatum.*

Caput VIII.

PONVNTVR FIGVRAE ET PROPHETIAE DE AVTHORITATE ET IVRISDICTIONE SVMMI PONTIFICIS ROMANI PAPAE.

SCriptum eſt Exodi cap. 19. *Deſcenditq; Dominus ſuper montem Sinai, in ipſo montis vertice, et vocauit Moyſen in cacumen eius. Quò cùm aſcendiſſet, dixit ad eum: Deſcende et conteſtare populum, ne fortè velit tranſcendere terminos ad videndum dominum, et pereat ex eis plurima multitudo: Sacerdotes quoque, qui accedunt ad dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. Dixitq; Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus aſcendere in montem Sinai: Tu enim teſtificatus es, et iuſsiſti dicens: Pone terminos circa montem, et ſanctifica illum. Cui ait dominus: vade, deſcende, aſcendesq; tu, et Aaron tecum, ſacerdotes autem et populus non tranſeant terminos, nec aſcendant ad dominum, ne fortè interficiat illos. Deſcenditq; Moyſes ad populum, et omnia narrauit eis:* Nota, quòd in hoc capite frequēter repetitur, quia Moyſes ſanctificauit populum.

Item Exodi 24. *Dixit autem Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in montem, et eſto ibi, daboq; tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata, quæ ſcripſi, vt doceas filios Iſraël. Surrexerunt Moyſes, et Ioſue miniſter eius: aſcendensq; Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait: Expectate hic do-*

hîc donec reuertamur ad vos: Habetis Aaron et Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. Cùmq́; aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, et habitauit gloria domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die, vocauit eum dominus de medio caliginis. Erat autem ſpecies gloriæ domini, tanquam ignis ardens, ſuper verticem montis, in conſpectu filiorum Iſraël. Ingreſſusq́; Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.

Item, huius rei præceſsit figura in Aaron, Exodi cap. 28. *Portabitq́; Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerant, et ſanctificauerunt filij Iſraël, in cunctis muneribus et donatoriis ſuis.*

Item, præceſsit huius rei figura in Dauid, 1. Regum cap. 22. vbi ſcriptura dicit: *Et conuenerunt ad eum,* id eſt, ad Regem Dauid, *omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.*

Præceſsit ſuper ea re prophetia Ezechielis cap. 37. vbi ſcriptum eſt: *Et non erunt vltra duæ gentes: nec diuidentur amplius in duo regna: neq́; polluentur vltra in idôlis ſuis, & abominationibus, & cunctis iniquitatibus ſuis: & ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus ſuis, in quibus peccauerunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus: & ſeruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum. In iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, & facient ea: & habitabunt ſuper terram, quam dedi ſeruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres veſtri: & habitabunt ſuper eam ipſi, & filij eorum, & filij filiorum eorum, vſque in ſempiternum: et Dauid ſeruus meus princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis: et fundabo eos, et multiplicabo: et dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipſi erunt mihi populus: et ſcient gentes, quia ego Dominus ſanctificator Iſrael, cùm fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.*

Item, Oſee cap. 1. *Et congregabũtur filij Iuda, et filij Iſraël pariter, et ponent ſibimet caput vnum, et aſcendent de terra, quia magnus dies Iezrael.*

NOTABILE TERTIVM.

Caput I.

PROBANTVR INDVLGENTIAE AVTHORITATE SCRIPTVRAE NOVI TESTAMENTI.

Sancta

SAncta mater Eccleſia Catholica, ſicut vincit Synagogam Sacerdotio, Euangelio, Sacrificio, Sacramentis, benedictionibus; ita & Iubileis ac Indulgentiis, iuxta illud ad Heb. cap. 1. & 8. *Chriſtus purgationem peccatorum faciens, nunc melius ſortitus eſt miniſterium, quantò et melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt: nam ſi illud prius culpa vacaſſet; non vtique ſecundi locus inquireretur: vituperans enim eos, dicit Ierem. 31. Ecce dies veniunt dicit Dominus, et conſumabo ſuper domum Iſraël, et ſuper domum Iuda teſtamentum nouum; non ſecundùm teſtamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos dicit Dominus. Quia hoc eſt teſtamentum quod diſpoſui domui Iſraël: poſt dies illos dicit Dominus, dando leges meas in mentes eorum, & in corda eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit vnuſquiſq; proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me à minore vſq; ad maiorem: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Item, 1. Pet. 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non conſequuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſequuti. Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum,* & Indulgentias, *merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procurauerint.* Nam Chriſtus Dominus talibus Indulgentiam promittit. Vnde Matth. cap. 9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite, quid eſt miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.*

Item Mat. 11. dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me; quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, et onus meum leue.* VENITE AD ME OMNES QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS. HILARIVS. *Legis difficultatibus laborantes, & peccatis ſeculi oneratos ad ſe vocat.* D. HIERONYMVS. *Grauia enim eſſe onera peccati. Et Zacharias Propheta cap. 5. teſtatur: Iniquitatem, dicens, ſedere ſuper talentum plumbi. Et Pſalmiſta compleuit Pſalm. 31. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* D. Gregorius Magnus lib. 30. Mo-

ralium cap. 32. *Aſperum enim & durum ſeruitutis pondus eſt ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra mentem cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex deſiderio adeptionis afflixerant, poſtea ex pauore amiſſionis premunt.* D. Chryſoſtomus Homilia 39. in Matth. *Non autem dicit venite ille & ille: ſed omnes qui in ſollicitudinibus, qui in triſtitijs, qui in peccatis eſtis; non vt expetam noxas, ſed vt ſoluam peccata. Venite, non quoniam indigeo veſtra gloria; ſed quia volo veſtram ſalutem. vnde dicit, Et ego reficiam vos, id eſt, in omni quiete conſtituam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Simile quid legitur 1. Regum cap. 22. *Venerunt ad Dauid omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.*

Et nunc veniunt omnes ad filium Dauid Clementem Octauum, qui regnat in domo Iacob & Dauid, id eſt in Eccleſia Catholica, afflicti, miſeri, & qui veniunt cõtrito corde, virtute Chriſti per manus Clementis, ſi fuerint infirmi, ſanantur: compediti ſoluuntur, cœci illuminantur, eliſi eriguntur, mediante ſancta Indulgentia. Item, Lucæ 19. *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*

Item, Ioan. cap. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* D. Thomas ſuper iiſdem verbis: *Non de temporali, ſed de ſpirituali aqua Dominus dicit.* Item, ad Rom. 8. *Si Deus pro nòbis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat.*

Item, 2. Corint: 5. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi: nec reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbũ reconciliationis* (ſanctę indulgentię) *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Item, 1. ad Timoth. cap. 1. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.*

Caput II.

ORANDVM ESSE CATHOLICIS PRO INDVLGENTIA.

Multæ

MVltæ ſunt cauſæ, propter quas in Eccleſia Catholica debeamus orare ſine intermiſſione pro indulgentia. Verùmtamen duæ ſunt cauſæ principales: Prima quidem Chriſti domini redemptoris exemplũ: Secunda verò eiuſdem magiſtri noſtri præceptum. EXEMPLVM QVIDEM, quia eleuatis ad Deum patrem in cruce manibus, primum verbum fecit, & primam orationem poſuit pro indulgentiis ſuorum inimicorum dicens: Lucæ 23. cap. *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Hoc exemplo S. Stephanus, Actuum cap. 7. orat pro inimicis: nam ſcriptura dicit: *Poſitis autem genibus, clamabat voce magna, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Hoc exemplo orat mater Eccleſia. PRAECEPTVM VERÒ, quia magiſter & præceptor noſter Chriſtus dominus, Matth. cap. 6. ſic docuit, ſic præcepit dicens: *Cùm orabitis, dicite: Pater noſter, etc. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hoc præcepto orat mater Eccleſia Catholica pro indulgentia ſine intermiſſione.

Non ſolùm autem, ſed abſoluti, & conſolati, vel per ſe, vel per alios gratias agũt. Sic ſancta Dei genitrix virgo Maria, nomine eccleſiæ pro indulgentia gratias agit, Lucæ 1. cap. dicens: *Magnificat anima mea dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, etc. Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum, etc. Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ, etc.*

Et Zacharias Propheta, Lucæ cap. 1. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.*

Caput III.

EXEMPLA PONVNTVR INDVLGENTIARVM IN NOVO TESTAMENTO.

PEtrus Apoſtolus, poſt peccatum negationis, Marci 14. conuerſus, obtinuit apud Chriſtum indulgentiam, & factus eſt Apoſtolus, Marci 16. vnde poteſt de illo dici illud Apoſtoli ad Rom. cap. 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.*

Paulus Apoſtolus perſecutor eccleſiæ, 1. Corinth. 15. conuerſus, Actuum 9. obtinuit apud Chriſtum indulgentiam, & factus eſt Apoſtolus.

Matthęus publicanus thelonearius conuerſus, obtinuit apud Chriſtum indulgentiam, & conſecutus eſt promotionem ad honorem Apoſtola-

poſtolatus & Euangeliſtæ, Matth. 9.

Zachęus publicanus thelonearius conuerſus, obtinuit apud Chriſtum indulgentiã,& nomen filij Abrahę, Luc. 19. Similiter Maria Magdalena, Lucę 7. Item, Latro ad dexteram pendens in cruce, Luc. 23, conuerſus in articulo mortis, obtinuit indulgentiam apud Chriſtum.

Item, 1. Corinth. 15. & 2. Corint. 2. Ille profanus Corintius fornicator, quem propterea B. Paulus Apoſtolus excommunicauerat, conuerſus & abſolutus ab eodem Apoſtolo, obtinuit indulgentiam: nam condonauit illi culpam & pœnam æternam, ſed non temporalem.

V nde beatus Paulus Apoſtolus ad Heb. cap. 4. dicit: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Ieſum filium Dei, teneamus ſpei noſtræ confeſsionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia, ad thronum gratiæ eius; vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

Caput IIII.

PROBANTVR INDVLGENTIAE TESTIMONIIS SANCTORVM PATRVM.

D. GREGORIVS MAGNVS, ſuper Pſalmum pœnitentialem, qui quinquageſimus eſt, ſuper illis verbis: *Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam*, Indulgentiam precioſiſsimum theſaurum æſtimat, ſic dicens: *Tu domine, immenſas & innumerabiles mundo exhibuiſti miſericordias, quando genus humanum de ſeruitute diabolicæ tyrannidis eripuiſti, & à peccatis ſuis, in ſanguine tuo electos tuos lauiſti. Lauet ſanguis iſte peccatorum meorum maculas, qui totius mundi potuit delere offenſas. Non poſtulo à te aurum: non lapides pretioſos: non laboribus & naufragiis exquiſita commercia: non peregrinas merces, de remotis terrenarum regionum, multo ad nos diſcrimine delatas, quæ etiam fortium ſæpè virorum mentes effœminant, et falſæ pulchritudinis imagine illectas captiuant; verùm, quod omnibus his eſt præſtantius, & pretioſius, remiſsionem peccatorum expeto. Quæ tunc vera eſſe probabitur, ſi addito fructu pœnitentiæ, gratiæ tuæ muneribus cumulatur. Quid enim mihi prodeſt malorum, quæ feci, impunitas, niſi etiam benè operandi ſubſequatur facultas? &c.*

D. AMBROSIVS de pœnitentia lib. 1. cap. 17. *Quid expectamus, vt mortui mereantur veniam, qui mortem ſibi intulerunt cùm viuerent? Satis eſt, inquit, ei qui talis eſt obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita vt è contrario*

trario magis donetis & conſolemini, ne fortè abundantiore triſtitia abſorbeatur. Si ſatis ad condemnationem eſt obiurgatio, quæ fit à pluribus; ſatis eſt quoq; ad remiſsionem peccati obſecratio, quæ fit à pluribus. Moralis magiſter, & noſtræ fragilitatis conſcius, & pietatis diuinæ interpres, vult donari peccatum, vult conſolationem adhiberi; ne triſtitia pœnitentem tædio longæ dilationis abſorbeat. Ideò ergo donauit Apoſtolus: nec ſolùm donauit; ſed etiam confirmari in eam charitatem voluit. QVI CHARVS EST, NON HABET DVRITIAM, SED MANSVETVDINEM. *Non ſolùm donauit ipſe, ſed voluit etiam omnes donare, & ſe propter alios donaſſe dixit, ne multi propter vnum diutiùs contriſtarentur.* 2. Corint. 2. *Si cui, inquit, donaſtis, & ego: nam & ego propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à Sathana: nec enim verſutias eius ignoramus. Rectè poteſt ſerpentem cauere, qui eius poteſt verſutias non ignorare, quæ multæ ad nocendum ſunt: vult enim ſemper nocere, ſemper circumuenire, vt mortem inferat. Sed debemus cauere, ne remedium noſtrum fiat eius triumphus: circumuenimur enim ab eo, ſi per nimiam triſtitiam pereat, qui poteſt liberari per indulgentiam.* Et vt ſciremus, quia de baptiſato dicit: addidit 1. Corint. 5. *Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis, non vtiq; fornicariis huius mundi:* Et infrà ſubiunxit. *Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri: ſi quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idólis ſeruiens. Quos ſimul ſubiunxit ad pœnam, ſimul voluit etiam ad veniam pertinere: Si quis autem talis eſt, inquit; cùm hoc nec cibum ſumere. Quàm ſeuerus pertinacibus, quàm indulgens rogantibus: aduerſum illos Chriſti armatur iniuria; his Chriſti inuocatio ſuffragatur. At ne quis fortè eo moueatur, quia ſcriptum eſt: Tradidi huiuſcemodi hominem Sathanæ, in interitum carnis, & dicat: Quomodo potuit ad veniam pertinere, cuius omnis interierit caro, cùm manifeſtum ſit in vtroq; redemptum hominem, in vtroq; ſaluari: neq; animam ſine carne, neque carnem ſine anima, cùm ſibi ſint geſtorum operum conſortiis copulatæ, ſine conſortio vel pœnæ eſſe, vel præmii? Is ſibi reſponſum hoc habeat, quòd interitus non conſumatũ abſumptionem carnis ſignificet; ſed caſtigationem: ſicut enim mortuus peccato, Deo viuit; ita illecebra carnis interit, & cupiditatibus ſuis moritur caro; vt caſtitati cæteriſq; bonis operibus reuiuiſcat, & quod aptius exemplum, quàm de matre ſumamus? Namque ipſa de qua aſſumpti ſumus terra, intermiſſo exercitio, cultuq; videtur deſerta, et aut vinetis quibus conſitus eſt ager, aut oleis moritur; ſuccum tamen proprium, velut quandam ſui animam, non amittit. Deniq; repetita cultione, & creditis ſeminibus, quibus habilis æſtimatur, feracior aſſurgit fructibus. Non ergo alienum, ſi etiam noſtra caro interire ſic dicitur; vt repreſſa magis, quàm abſumpta credatur.* Nota, ſicut S. Paulus, ita nunc Papa in perſona Chriſti largitur nobis indulgentias.

Item, D. AMBROSIVS, ſuper Pſalm. 38. exponens illa verba. *Remitte mihi vt refrigerer, priuſquàm eam, & amplius non ero*, dicit. *Hoc eſt, hîc mihi remitte, vbi peccaui: niſi hîc remiſeris mihi; ibi remiſsionis requiem inuenire non potero. Quod enim in terra ligatum manſerit, ligatum manebit in cælo: quod ſolutum in terra fuerit, ſolutum erit in cælo. Propheta enim, & prædicator eccleſiæ congregandæ, euangelico ſpiritu indulgentias domini præuidebat, & præcipienda Apoſtolis, ei dominus reuelabat. Imò hæc erat vetus ſententia, vt qui ſe ligaſſet in terris, vinctus migraret à corpore. Ideò dominus, quod antè erat iudicij ſui, dedit Apoſtolis, peccata remittendi æquitatem, ne citò ſoluenda, diu ligata manerent.* Deniq; audi dicentem: *Tibi dabo claues regni cælorum: et, quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælo: &, quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo. Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum, vt et ſoluas, et liges. Hoc Nouatianus non audiuit, ſed eccleſia Dei audiuit: ideò ille in lapſu, nos in remiſsione: ille in pœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur; Apoſtolis dicitur: non poteſtatem vſurpamus; ſed ſeruimus imperio, ne poſtea cùm venerit dominus, & ligatos inuenerit, quos oportuit ſolui, commoueatur aduerſus diſpenſatorem, qui ligatos ſeruauerit ſeruos, quos dominus iuſſerat ſolui dicens: Quoniam qui cognouit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multùm: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit minus. Meritò ergo Dauid remitti ſibi poſtulat, quòd ſciebat, non eſſe iis, qui ſecundùm Aaron erant, ſacerdotibus attributum; ſed euangelio ſeruatum. Cui ergo non remittitur, in exilio eſt, in peregrinationis iniuria perſeuerat. Hîc ergo petenda eſt venia. Hîc enim dictum eſt: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Hîc locus eſt veniæ poſtulandæ. Deploremus igitur in terris, vt mereamur indulgentiam. Niſi remiſſum peccatum hîc fuerit, non habebimus requiem: ſi requies non fuerit, non erit vita æterna: ſi vita æterna non fuerit, non erimus: ideò petit remitti ſibi antequam eat vt ſit. Si enim remiſſum non fuerit; Non ero, inquit, cum iis qui ſunt, cum ijs qui in paradiſum merentur aſcendere. Qui autem non eſt, conſumetur cum deſcendentibus in lacum, qui in catenis, & in carcere fuerit derelictus.*

D. AVGVSTINVS Tractatu 33. in Ioannem, ſuper cap. 8. Ioan. ſuper illa verba. *Vade: deinceps iam noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, ſed peccatum, non hominem: nam ſi peccatorum fautor eſſet, diceret: nec ego te condemnabo, vade, & viue, vt vis: de mea liberatione eſto ſecura: ego, quantumcunq; peccaueris, te ab omni pœna, etiam gehennæ, & inferni terroribus, liberabo. Non hoc dixit. Intendant ergo qui amant in domino manſuetudinem, & timeant veritatem: etenim dulcis & rectus Dominus: ama, quòd dulcis eſt: time, quòd rectus eſt. Tanquam*

manſuetus dixit, Tacui: ſed tanquam iuſtus, Nunquid ſemper tacebo? Miſericors & miſerator Dominus; ita plane: adhuc adde, longanimis: adhuc adde, & miſericors: ſed time, quòd eſt in nouiſſimo & verax. Quòd enim modò ſuſtinet peccantes, iudicaturus eſt contemnentes. An diuitias longanimitatis & manſuetudinis eius contemnis? ad Rom. 2. Ignoras quia patientia dei, ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddet vnicuiq; ſecundùm opera ſua. Manſuetus dominus: longanimis Dominus: miſericors Dominus: ſed & iuſtus Dominus: & verax Dominus. largitur tibi ſpatium correctionis; ſed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto: & hodiernum diem in malicia peregiſti: vel cras mutare: ſemper expectas, & de miſericordia dei tibi plurimum polliceris; quaſi ille, qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam. Vnde ſcis, quid pariat craſtinus dies? Recte dicis in corde tuo, quando me correxero: Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare nõ poſſumus, quòd correctis atq; conuerſis indulgentiam Deus promiſit. Nam in quo mihi Propheta legis, quia promiſit correcto indulgentiam? non mihi legis; quia promiſit tibi Deus longam vitam. Ex vtroq; igitur homines periclitantur: & ſperando, & deſperando: contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando, quis decipitur? Qui dicit: Bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet, quod libet: laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? Quia miſericors eſt Deus, bonus eſt Deus, manſuetus Deus. Spe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cùm inciderint in grauia peccata, putantes ſibi non poſſe iam ignoſci pœnitentibus, et ſtatuentes ſe ad damnationẽ, ſine dubio deſtinatos dicunt apud ſemetipſos: iam damnandi ſumus: quare non quod volumus facimus? Animo gladiatorum, ferro deſtinatorum: ideò moleſti ſunt deſperati. Iam enim quod timeãt, non habent, & vehementer timendi ſunt. Iſtos deſperatio vocat, ſpes illos: inter ſpem & deſperationem fluctuat animus. Metuendum eſt, ne te occidat ſpes: & cùm multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio: & cùm putas iam tibi non ignoſci, quæ grauia commiſiſti, non agas pœnitentiam, et incurras in iudicem Sapientiam, quæ Prouer: 1. dicit: Et ego veſtræ perditioni ſuperridebo. Quid ergo ait dominus, cum periclitantibus vtroq; morbo? Illis qui ſpe periclitantur, hæc dicit Eccleſiaſtici 5. Ne tardes conuerti ad dominum, neq; differas de die in diem: ſubitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illis, qui deſperatione periclitantur, quid dicit Ezechiel. cap: 18? In quacunq; die iniquus conuerſus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiſcar. Propter illos ergo qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ

 portum,

portum: Propter illos, qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum: quando veniat vltimus dies, neſcis: ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris? Sic ergo dixit ad iſtam mulierem: Nec ego te condemnabo: ſed facta ſecum de præterito, caue futurum: Nec ego te condemnabo: deleui quod commiſiſti: obſerua quod præcepi, vt inuenias quod promiſi, Hæc D. Auguſtinus. Item, D. AVGVSTINVS multa ſcribit de indulgentiis, in libro de vera & falſa pœnitentia.

D. HIERONYMVS ſuper cap. 58. Iſaiæ, & 43. Ezechielis, dicit, quia peccatores, & iuſti, Domini propitiatione ſaluantur.

Caput V.

PROBANTVR INDVLGENTIAE CANONIBVS ET DECRETIS SACRORVM CONCILIORVM.

DEinde conſulenda ſunt SACROSANCTA Concilia, quid de hac re determinauerint: Inprimis autem SANCTA NICOENA Synodus, capite vndecimo: *De his, inquit, qui præter neceſſitatem præuaricati ſunt, aut propter ablationem facultatum, aut propter periculum, aut aliquid huiusmodi, quod factum eſt ſub tyrannide Lycinij, placuit ſanctæ Synodo, licèt indigni ſint miſericordia, tamen aliquid circa eos humanitatis oſtendi. Si quos ergo ex animo pœnitet; tribus annis inter pœnitentes habeantur: ſi tamen fideles ſunt, ſeptem annis aliis inter pœnitentes ſint: duobus autem annis iidem ſine oblatione, in orationeſola, participent populo. Si qui verò per Dei gratiam vocati, primò quidem oſtenderunt fidem ſuam, depoſito militiæ cingulo: poſt hæc autem ad proprium vomitum reuerſi ſunt, vt & pecunias darent, & ambirent redire rurſum ad militiam: iſti decem annis ſint inter pœnitentes, poſt primum triennium, quo fuerint inter audientes. Ab omnibus verò illud præcipuè obſeruetur, vt animus eorum, & fructus pœnitentiæ attendatur, obſeruetur. Quicunque enim cum omni timore & lachrymis perſeuerantibus, & operibus bonis, conuerſationem ſuam, non verbis ſolis, ſed opere & veritate demonſtrant, quum tempus ſtatutum etiam ab his fuerit impletum, & orationibus iam cœperint communicare; licebit etiam Epiſcopo, humanius circa eos aliquid cogitare. Qui verò indifferenter habuerint lapſum, & ſufficere ſibi, quòd eccleſiam introierunt arbitrantur; iſti omnimodo tempora ſtatuta complebunt. Hæc ibi. Senſus eſt*, licebit Epiſcopo de præſcriptis pœnis, vel omnes, vel partem condonare.

CONSILIVM ANCYRANVM, paulò ante Nicoenum celebratũ. In eo itaque Concilio, his qui ad idòla defecerant, erant pœnæ taxatæ, atq; præſcriptæ: Sed Epiſcopo conceſſa fuerat facultas eas mitigandi, ſeu

remouendi.

remouendi. *Epiſcopum*, inquit cap. 5. *hanc habere licentiam oportet, vt perſpecta ſingulorum conuerſatione, normam regulamq́; conuerſationis tribuat: id eſt, vt humanius agens, ſecundùm conuerſationis modum, tempus alicui pœnitentiæ breuiare, aut etiam prolixius, quòd correctioni neceſſarium duxerit addere.*

CONCILIVM LAODICENVM Canone 2. *His, qui diuerſorum peccatorum lapſus incurrunt, & oratione, & confeſsione, & pœnitentia malorum ſuorum, perfectam conuerſationem demonſtrant; pro qualitate peccati, tempus attribuendum eſt, propter miſericordiam & bonitatem dei. Qui ergo huiuſmodi ſunt, reuocandi, & ad communionem ſunt applicandi.* Itaque ab initio ſtatim naſcentis Eccleſiæ fuerunt indulgentię ſemper in vſu: quippe, quia indulgentia nihil aliud eſt; quàm pœnæ temporalis poſt confeſsionem, & iuſtificationem inflictæ quædam relaxatio. Quā ob cauſam non ineptè ſanctus Cyprianus Cornelium Papam dicit rectè egiſſe, qui in condonandis peccatis liberalis fuerat inuentus: docetque ad Antonianum ſcribens, Trophinum, ſine illa pœnitentia, nō tamen ſine ſatisfactione fuiſſe receptum.

In Synodo Latheranenſi, Innocentius Tertius, indiſcretam quorundam Epiſcoporum, in concedendis indulgentiis, licentiam, reformando compeſcuit

Item, Innocentius Tertius, & Lateranenſe concilium: *Nos*, aiunt, *omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate confiſi, ex illa, quam nobis licèt indignis, Deus ligandi atq; ſoluendi contulit poteſtatem: omnibus qui laborem propriis perſonis ſubierint, & expenſis: plenam ſuorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confeſsi, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum.*

Magnum Gregorium plenarias indulgentias conceſsiſſe, ſatis conſtat: Nam in Epiſtola ad Epiſcopos Brittanniæ, abſolutè indulgentias conceſsit. *Quibuſcunque, ait, verè pœnitentibus peccatorum remiſsionem, Apoſtolica freti poteſtate, largimur: & inſuper æternæ beatitudinis gaudia, de omnipotentis Dei miſericordia confiſi:* De pœna, non autem de culpæ remiſsione loquitur, quæ Summi Pontificis, & Epiſcoporum poteſtati ſubijcitur. Hæc in regeſtro Gregorij leguntur.

Idem Pontifex fratribus Maſsilienſis monaſterij, qui conquerebantur ſuum Abbatem, à Summo Pontifice detineri. *Rogamus*, inquit, *vos, ex parte omnipotentis Dei, & amore B. Petri patienter ſupportare: quia citò, Deo adiuuante, Abbatem vobis lætum remittemus, & authoritate BB. Petri & Pauli, & noſtra, per iſtos nobis indignis comiſſa, abſolutionem, & indulgentiam promittimus, & cum benedictione concedimus.* Leo

Leo Primus, ſermone de Ieiunio decimi menſis, de Indulgentiis, quæ ſunt Romæ in ſtationibus:& de antiquis vrbis conſuetudinibus, ſic loquitur. *Quarta*, inquit, *& ſexta feria ieiunemus, & Sabbatho apud S. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, qui & orationes noſtras, et ieiunia, & eleemoſynas noſtras dignabitur adiuuare. Ex quo apertè oſtenditur forma, qua veteres ad ſtationes, & indulgentias capeſſendas, inuitabantur, omnes præſertim, qui Romæ manebant.*

Bonifacius Octauus, in extrauag. antiquorum, omnes peccatorum temporales pœnas condonauit, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli tẽplum viſitantibus. Clemens Sextus ſcribens ad Archiepiſcopũ Tornaceñ. ad ſingulos quosq; quinquageſimos annos indulgentias plenarias conceſsit in Extrauagañ. Dudum.

Sixtus Quartus, ad vigeſimos quintos annos Iubileum reduxit.

CONCILIVM CONSTANTIEN. Seſsio. 18. iis qui Miſſę, ac proceſsioni, in quibus pro Sigiſmundo Romanorum, & Vngariæ Rege, ad regem Arragonum eunti, preces publicè fundebantur, præſentes adeſsent, centum dies indulgentiarum tribuit.

CONCILIVM BASILIEN. Seſsio. 24. Iis qui reductionem Græcorum, eleemoſynis adiuuarent, ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, remiſsionem plenariam, omnium peccatorum indulſit.

Anno Domini M. D. XXXVI. Quinto Idus Maij, Sacrum Concilium Baſilienſe pro reductione Græcorum, conceſsit indulgentiam: Et ſcribitur ibidem. *Nónne cùm paſſagium generale pro recuperatione terræ ſanctæ indictum fuit, proq; aliis magnis Eccleſiæ neceſſitatibus, indulgentiæ generales conceſſæ ſunt? Nónne ex proximis annis bis, aut pluries pro extirpanda Hæreſi Vuicleſiſtarum, modis idoneis id ipſum actum eſt? Si ergo pro illis hîc indulgentiarum modus idoneus iudicatus eſt; cur & nunc pro reductione Græcorum, quo nihil fortè poteſt dici maius, non cenſebitur conueniens? Quòd et ſi pro reparatione pontium, ac villarum exuſtarum Summi Pontificis, & ipſe modernus Summus Pontifex* EVGENIVS *etiam ad inſtantiam priuatarum perſonarum plenarias conceſſit; cur nunc inſtante Eccleſia fit tanta dilatio? &c.*

Anno Domini M. D. XX. die XXV. Octobris: Leo Decimus in Concilio Lateraneñ. contra errores, & articulos Martini Lutheri, inter quos articulos, leguntur quidam, quibus blaſphemauit, ſanctas indulgentias: propterea Sanctiſs. Leo Decimus ſua Bulla, contra Lutherum, & articulos illius decreuit & pronunciauit ſic? *Itaq; de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac omnium, & ſingulorum prædictorum, matura deliberatione, prædicta authoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, præfatos omnes*

& ſingu-

& ſingulos articulos, ſeu errores, tanquam (vt præmittitur) reſpectiuè, hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſiuos, vel ſimplicium mentium ſeductiuos, & veritati Catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atq; omninò reijcimus: ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis, ab omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus, & declaramus: inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ: Necnon quò ad eccleſiaſticas & regulares perſonas, Epiſcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum quoque, & prioratuum etiam conuentualium, & quarumcunq; dignitatum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſecularium, aut quorumuis ordinum regularium priuationis, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda. quò verò ad Conuentus, Capitula, ſeu domos, aut pia loca ſecularium, vel regularium etiam Mendicantium: Necnon vniuerſitatis etiam ſtudiorum generalium, quorumcunq; Priuilegiorum, indultorum à ſede Apoſtolica, vel eius legatis, aut aliâs quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cuiuſcunq; tenoris exiſtant. Necnon nominis, & poteſtatis ſtudium generale tenendi, legendi, & interpretandi quaſuis ſcientias, & facultates, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinendi: prædicationis quoq; officij, ac amiſſionis ſtudij generalis, & omnium Priuilegiorum eiuſdem, &c.

Anno Domini, M. D. LXII. die XVI. Iulij, ſub Pio Quarto Pontifice Maximo, Sacroſanctum Concilium Tridentinum, Seſsione 21. Decreto de Reformatione, cap. 9. tradidit, & recapitulauit ſic: *Cùm multa à diuerſis antea Conciliis, tam Lateranenſi, ac Lugdunenſi, quàm Viennenſi, aduerſus prauos Eleemoſynarum, Quæſtorum abuſus, remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusq; eorum malitia, ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo, et querela excreſcere depræhendatur; vt de eorum emendatione, nulla ſpes amplius relicta videatur: Statuit, vt poſt hac in quibuscumq; Chriſtianæ religionis locis, eorum nomen, atq; vſus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obſtantibus Priuilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, & quibusuis, cuiuscunq; gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias verò, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideò Chriſti fideles decet priuari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus, populo publicandas eſſe decernit. Quibus etiam eleemoſynas, atq; oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur; vt tandem hos cæleſtes eccleſiæ theſauros, non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant.*

Idem

Idem Sacroſanctum Concilium Tridentinum, Seſsione xxv. Decreto de Indulgentiis, omnes & ſingulos, quicunque contradicunt indulgentiis, vel eaſdem blaſphemant, damnat, excommunicat, anathematizat.

Anno Domini, M. D. LXXI. primis diebus Octob. Cùm Veneti ad Cyprum, ſiue Candiam, bellum haberent cum Turca: Romanus Pontifex Pius Quintus, Indulgentiam quadraginta horarum Romæ inſtituit, indixit, celebrauit: & Deo adiuuante, eccleſia orante, Veneti ex Turcis ad Echinadas die 7. Octobris reportauerunt victoriam & triumphum.

Caput VI.

PONVNTVR PRIVILEGIA ET AVTHORITATES EX SCRIPTVRA NOVI TESTAMENTI, SVPER IVRISDICTIONE ET AVTHORITATE PAPAE, CVM AD MVLTA ALIA, TVM AD INDVLGENTIAS CONFERENDAS.

QVia Summus Pontifex Romanus Vicarius Chriſti, Succeſſor legittimus ſancti Petri, purgando, illuminando, & perficiendo Eccleſiam, largitur indulgentias; facit officium ſicut fidelis ſeruus, & prudens, quem propter ea & alia conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, illis verbis, Matth. 16. cap. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

Item Ioan. cap. 13. *Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & Vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo, qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.*

Item, Ioannis cap. 21. *Cùm ergo prandiſſent, dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine, tu ſcis quia amo te: Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Ioannis diligis me? Ait illi: etiam Domine, tu ſcis quia amo te: Dicit ei iterum, Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me, dicit ei: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te: Dicit ei, Paſce oues meas.*

Eſt

Eſt igitur boni paſtoris, non ſolùm paſcere; verùm etiam ſeruare, & lauare oues, quod dandis indulgentiis, facit Pontifex.

Propterea Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 4. dicit: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Idem 2. ad Corint. 2. *Cui donaſtis aliquid, & ego, quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.*

Item 2. ad Corint. cap. 9. *Diſpenſatio mihi credita eſt.*

NOTABILE QVARTVM.

PRobauimus Deo adiuuante, traditionum & ſcripturarum authoritate: tum Sacrorum Conciliorum canonibus, & teſtimoniis ſanctorum Patrum indulgentias: Sequitur vt de cauſis earundem Indulgentiarum breuiter dicamus: quia teſte Ariſto. lib. 10. methaph. Nihil ſcitur ſine cauſa.

Caput I.

DE NECESSITATE INDVLGENTIARVM.

NEceſsitas Indulgentiarum in Eccleſia Catholica, & ſcripturis Canonicis, & multiplici ratione oſtendi, & probari poteſt. Ac primò quidem authoritate, Sacrę ſcripturę probatur: quia ſcriptum eſt Luc. cap. 24. *Quoniam ſic ſcriptum eſt: & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma.*

Thomas Caietanus, *Non ſolùm dicit, ſic ſcriptum eſt; ſed aſſumit pro ratione dicendo: quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſignificatur per* SIC, *diſpoſitio, modus, & ordo geſtarum, & gerendarum rerum, quæ ſubiunguntur,* ET SIC OPORTEBAT, *Conſequentiæ vis ſignificatur, coniunctione vim affirmationis habente: ac ſi dictum fuiſſet, & conſequenter ſic oportebat: ita quòd ſenſus eſt: quoniam ſic ſcriptum eſt: conſequenter ſic oportebat: hoc eſt oportebat illum ordinem, illum modum, illam diſpoſitionem ſeruare, quæ ſeruata eſt, quia ſic ſcriptum erat, & ſic oportebat* CHRISTVM PATI, ET RESVRGERE À MORTVIS TERTIA DIE, ET PRAEDICARI IN NOMINE EIVS POENITENTIAM. *Vbi nota, quia non reſpicit prædicationem præteritam; ſed reſpicit diſpoſitionem futuræ prædicationis per Apoſtolos. Eſt enim ſenſus, quòd oportebat ſic, hoc eſt, talem diſpoſitionem, ordinem, ac modum ad prædicandum efficere; qualis modus, qualis ordo, qualis diſpoſitio effecta eſt; vt, ſcilicet Ieſus, colligeret diſcipulos, teſtes miraculorum, vitæ, prædicationis, paſſionis & mortis ſuæ: teſtes, & prædicatores indulgentiarum, ac cuſtodes theſauri cæleſtis in Eccleſia, vſq; ad conſumationem ſanctorum,*

ctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. POENITENTIAM ET REMISSIONEM PECCATORVM. *Pœnitentia, opus eſt humanum: remiſſio peccatorum, opus eſt Dei. Sed pœnitentia nihil valet ſine remiſſione peccatorum, ſiue indulgentia: nec indulgentia, ſiue remiſſio peccatorum datur ſine pœnitentia. Significatur enim oportere prædicari vtrumq;, ſcilicet, malè actæ vitæ pœnitentiam, non quacunq; ratione; ſed in nomine Ieſu, & tunc in eodem nomine conſequentem indulgentiam, ſeu remiſſionem peccatorum. Et intendit per hoc prædicandum eſſe, quod inuocatione Sancti & terribilis nominis Ieſu, baptiſmum ſuſcipientes, & pœnitentiam agentes, conſequerentur indulgentiam, ſiue remiſſionem peccatorum,* IN OMNES GENTES. *Ecce extenſio prædicationis, ad vniuerſas mundi gentes. Non enim decebat amplius*, inquit Theophilactus, *bipartitum eſſe humanum genus, in Iudæos & Gentiles: & ideò, vt omnes in vnum venirent, mandauit incipere ſermonem à Ieruſalem, & ad gentes terminari. Definit ergo locale initium Apoſtolicæ prædicationis: quia ſic ſcriptum eſt Pſalm.* 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Et Iſa. cap.* 2. *De Sion exibit lex, & verbum domini de Ieruſalem.*

Item, ad Romanos cap. 3. *Non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*

D. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarieñ. *Super omnes æqualiter eſt gratia, miſericordia, iuſtitia, & indulgentia, per fidem & pœnitentiam, & alia ſacramenta, per quæ nobis applicat mater Eccleſia indulgentiam: quia non eſt diſtinctio, in accipienda illa iuſtitia, et indulgentia. Sed ſiue Iudæus, ſiue Gentilis fidem habuerit, quæ per charitatem operatur, conſequetur indulgentiam & iuſtificabitur. verè non eſt diſtinctio vtrorumque: quia omnes et Iudæi, & Gentiles peccauerunt, vel in ſe, vel in Adam. Quoniam lex ſiue in Paradyſo data, ſiue naturaliter inſita, ſiue in literis promulgata, præuaricata eſt ab ipſis.* OMNES ERGO PECCAVERVNT, ET EGENT ADHVC QVOTIDIE GLORIA DEI, *id eſt, vt Deus magis, magisq; glorificetur in eis, tribuendo beneficia gratiæ ſuæ, per indulgentiam & remiſſionem quotidianorum delictorum: & multiplicationem virtutum. Non gloria ſua egent, vt glorientur quaſi de ſuis meritis; ſed egent gloria Dei, id eſt, omninò neceſſarium eſt illis, vt gloria Dei dilatetur in ipſis: nam Deus gloriam & omnipotentiam ſuam, indulgentiam dando, parcendo, et miſerando maximè manifeſtat. Quia, vt dicit D. Gregorius magnus ſuper* 1. Regum 3. *difficilis eſt reconciliatio criminoſorum. Noſtra autem gloria (aut verius Sancti Apoſtoli) eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ* 2. ad Corint. cap. 1.

Verùm hæc ipſa neceſsitas indulgentiarum, pluribus rationibus probari poteſt.

PRIMA

PRIMA RATIO, Contra Pelagium, Quicunque per ſe cadit in peccato, ſicut bos, vel aſinus in puteo: ſed per ſe liberari, & reſurgere non poteſt; illi indulgentia & miſericordia eſt neceſſaria. ſed omnis homo per ſe cadit in peccatum, ſicut bos vel aſinus in puteum, ſed per ſe liberari & reſurgere non poteſt: ergo omni homini miſericordia & indulgentia eſt neceſſaria.

MAIOR, eſt vera.

MINOR eſt omnium Theologorum principium, & eſt Lucæ cap. 10. & 14. Nam vulneratus, qui incidit in latrones, non poteſt ſibi conſulere, vſque à Samaritano curatur. Dic hiſtoriam.

SECVNDA RATIO. Omnis filius infidelis, inobediens, prodigus, malus & miſer, neceſſe habet, vt ſub indulgentia, ſuo bono reconcilietur patri. ſed omnis homo, eſt filius Dei patris, ſed infidelis, inobediens, prodigus, malus & miſer: igitur omnis homo neceſſe habet, vt ſub indulgentia ſuo bono reconcilietur patri.

MAIOR vera, quia naturali & diuina lege filius debet honorare patrem, Matth. 1.

MINOR eſt Pſalm. 13. & 115. Item, ad Rom. 3. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Sepulchrum patẽs, eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum, ad effundendum ſanguinem, contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.*

Exemplum huius infidelitatis, inobedientiæ, irreuerentiæ, & malitiæ, in prodigo filio, Lucæ 15. cap.

TERTIA RATIO. Omnis ſeruus cœcus & miſer, neceſſe habet quærere vt recipiat viſum, & illuminetur. ſed omnis homo eſt ſeruus Dei cœcus, & miſer: igitur omnis homo neceſſariò debet quærere, vt recipiat viſum, & à Deo illuminetur.

MAIOR vera.

MINOR Iſaiæ cap. 42. *Quis cœcus niſi ſeruus meus, & ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi? Quis cœcus niſi qui venundatus eſt? Et quis cœ-*

cus niſi

cui niſi ſeruus Domini? Qui vides multa, nónne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nónne audies? Et Dominus voluit vt ſanctificaret eum, & magnificaceret legem, & extolleret: ipſe autem populus direptus & vaſtatus.

QVARTA RATIO. Omnis miſer, exul, miſerabilis, pauper, cœcus, & nudus, neceſſe habet quærere gratiam apud hoſpitem, & dominum diuitem, videntem, benè veſtitum, & liberalem. omnis homo eſt miſer, exul, miſerabilis, pauper, cœcus, & nudus: ergo omnis homo neceſſariò debet quærere gratiam Indulgentiarum apud hoſpitem, & Dominum Deum diuitem, videntem omnia, benè veſtitum, & liberalem. MAIOR vera.

MINOR eſt Apocalypſis cap. 3. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus; incipiam te euomere de ore meo: quia dicis, quòd diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum; vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris; vt non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio iunge oculos tuos vt videas. Ego quos amo, arguo et caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce ſto ad oſtium et pulſo: Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cænabo cum illo, et ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

QVINTA RATIO. Omnis pollutus & immundus, neceſſariò quærere debet commune balneum, vt poſſit lauari & mūdus eſſe. ſed omnis homo eſt pollutus & immundus: igitur omnis homo neceſſariò quærere debet commune balneum indulgentiarum, vt poſit lauari & mundus eſſe.

MAIOR: quia Apoſtolus præcipit ad Rom. 13. *Sicut in die honeſtè ambulemus.* Item Iſaiæ cap. 1. *Lauamini & mundi eſtote: quia non filij eius in ſordibus.* Deute. 32. Propterea Dauid Pſalm. 50. orat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et iterum ibidem: *Aſperges me Domine Hyſſopo,* id eſt, merito paſsionis Chriſti, ſanctorū, & Eccleſiæ, *& mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.*

MINOR. Iob 15. *Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat, natus de muliere? Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, et cæli non ſunt mundi in conſpectu eius. Quantò magis abominabilis, et inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?* Hoc idem Iob 9. & 25. cap.

Quis

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu qui ſolus es?

SEXTA RATIO. Omnis vulneratus & infirmus, neceſſariò debet quærere medicum, & vti medicina. ſed omnis homo eſt vulneratus & infirmus: ergo omnis homo neceſſariò debet quærere medicum, & vti medicina.

MAIOR vera à neceſſariò, ſiue à cauſa, ſine qua non.

MINOR Iſaiæ. 1. *A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* Item, Lucæ 10. *Homo incidit in latrones, qui ſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis, abierunt ſemiuiuo relicto.*

Vidit Dauid hanc infirmitatem ſuam, propterea orat Pſalm. 6. dicens: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.* Item, Pſal. 40. *Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Porrò Horatius li. 1. Epiſt. 16. ad Quinctium. *Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.*

SEPTIMA RATIO. Omnis captiuus, ligatus, & in carcerem miſſus, neceſſariò debet quærere, vt primo quoque tempore poſſit educi, ſolui, & manumitti. ſed omnis homo eſt captiuus, ligatus, in carcerem miſſus, & ſub peccato venundatus: igitur omnis homo prudens neceſſariò debet quærere indulgentiam, vt quàm primum poſsit educi, ſolui, & manumitti.

MAIOR vera ab officio prudentis & honeſti viri.

MINOR eſt Pſalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.*

Item, Iſaiæ 61.

Item, ad Rom. ca. 7. *Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.*

Item ibidem. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

OCTAVA RATIO. Quicunque peccatis actualibus, mortalibus, & venialibus ſeſe obſtrinxerunt, illi neceſſariò debẽt quęrere indulgentiam. ſed homines communiter peccatis actualibus, mortalibus, & venialibus ſeſe obſtrinxerunt: ergo homines communiter neceſſariò debent quærere indulgentiam.

MAIOR vera à definitione.

MINOR Ezechiel. cap. 9. Vbi Dominus dicit: *Repleta eſt terra ſanguinibus, et ciuitas repleta eſt auerſione.*

NONA RATIO. Libertas in ciuitate eſt neceſſaria: igitur & indulgentia in Eccleſia eſt neceſſaria.

CONSEQVENTIA à ſimili proportione, & à minori ad maius.
ANTECEDENS probatur. Pecunia in ciuitate eſt neceſſaria: igitur & libertas multò magis neceſſaria.
CONSEQVENTIA ex illo Horatij Poëtæ: *Non benè pro toto libertas venditur auro.*
ANTECEDENS patet ad ſenſum, tum probatur authoritate ſcripturæ: *Pecuniæ obediunt omnia.*

DECIMA RATIO. Aſylum in Repub. propter fatales eſt neceſſarium: igitur & indulgentia in Eccleſia propter criminoſos & peccatores eſt neceſſaria.

CONSEQVENTIA à ſimili.
ANTECEDENS Numerorum cap. 35. & Deutero. 19. Deus pręcepit primò tres, & poſtea plures ciuitates priuilegiatas ædificare, ad quas tutò fatales confugere poſſent.

VNDECIMA RATIO. Probatica piſcina Hieroſolymis eſt neceſſaria: igitur & indulgentia in Eccleſia Catholica neceſſaria.

CONSEQVENTIA à proprio ſigno ad proprium ſignatum.
ANTECEDENS Ioan. cap. 5. Quia in ea & oues lauabantur & infirmi, qui primi poſt commotionem aquæ eò deſcendebant, ſanabantur, à quacunque detinebantur infirmitate. Dic hiſtoriam.

DVODECIMA RATIO. Natatoria Siloë Hieroſolymis eſt neceſſaria: igitur & indulgentia in Eccleſia Catholica neceſſaria.

CONSEQVENTIA à proprio ſigno ad proprium ſignatum.
ANTECEDENS Ioan. cap. 9. Quia ibi ſecundùm verbum Chriſti, homo cœcus natus, ſuos oculos lauit, & recepit viſum, ac illuminatus eſt.

TREDECIMA RATIO. Principi Apoſtolorum Petro neceſſaria eſt indulgentia: igitur omnibus hominibus in genere indulgentia eſt neceſſaria.

CONSEQVENTIA à ſuperiori ad inferius.

ANTE-

ANTECEDENS Ioan. cap. 13. *Petre ſi non lauero te*, id eſt, aqua ſalutaris indulgentiæ, *non habebis partem mecum.*

QVATVORDECIMA RATIO. Pœnitentia omnibus eſt neceſſaria: igitur & indulgentia omnibus hominibus in genere eſt neceſſaria.

CONSEQVENTIA à proprio antecedente ad proprium cōſequens.

ANTECEDENS Lucæ cap. 13. Dico vobis, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Sic quoque bene dici poteſt, Niſi indulgentiam, & abſolutionem mediante pœnitentia obtinueritis, omnes ſimiliter peribitis: nam & pœnitentia ſine proprii ſacerdotis aut Epiſcopi abſolutione, nihil valet, præſertim his, qui ſunt extra eccleſiam.

QVINDECIMA RATIO. Quidquid ſancta methamorphoſi homines reformat, & ex prodigis filios adoptiuos facit, illud eſt neceſſarium. ſed indulgentia, ſancta metamorphoſi homines reformat, & ex prodigis filios adoptiuos facit: igitur indulgentia in Eccleſia eſt neceſſaria.

MAIOR vera, quia clamat Apoſtolus, ad Epheſ. cap. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.*

MINOR ad Galath. cap. 4. *Miſit Deus filium ſuum in mundum*, cum Indulgentiis, *vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et ad Epheſ. cap. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum.*

SEDECIMA RATIO. Omnes excommunicati neceſſariò debent in Eccleſia ſub indulgentia quærere, & petere abſolutionem. ſed omnes hæretici ſunt excommunicati: igitur omnes hæretici neceſſariò debent in Eccleſia ſub indulgentia quærere & petere abſolutionem.

MAIOR vera, quia ſcriptum eſt, Math. 16. *Quidquid ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.*

MINOR eſt Sacroſancti Tridentini Concilij, Seſsione 25. cap. 2. de reformatione. Item, ibidem titulo de recipiendis & obſeruandis decretis concilij. Item, ibidem in acclamationibus, *Anathema cunctis hæreticis* ℞. Anathema Anathema.

Caput II.

De cavsis Indvlgentiarvm, et primo de materia sive svbiecto.

SIcut medicinæ ſubiectum eſt corpus humanum ſanabile; ita indulgentiarum volunt quidam ſubiectum animam peccatoris, vulneratam, actualibus peccatis, quæ in peccatis dormiat: & cupit, intendit, quærit, & petit à ſomno & vulneribus peccatorum excitari, & indulgentia ſanari iuxta illud Pſalm. 40. *Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.*

Alij verò ſubiectum indulgentiarum ponunt conſcientiam peccatoris, funibus peccatorum ligatam, manibus Petri ſoluendam, authoritate clauium abſoluendam, & manumittendam, iuxta illud Pſal. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Et illud Math. 21. *Soluite, & adducite mihi.*

Alij dicunt hominem pœnitentem, ſed in labore pœnitentiæ deficientem, & orantem cum propheta Pſalm. 24. *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.*

Sed hæ ſupradictæ & aliæ his ſimiles opiniones pertinent ad materiam remotam. Proxima autem ſeu propinqua indulgentiarum materia, ſunt pœnæ temporales, vt in definitione dictum eſt. Indulgentiæ enim (ſecundùm communem Scholaſticorum ſententiam) à temporalibus pœnis homines liberant: ſi tamen prius ab æternarum reatu liberati fuerint. vnde ad indulgentias hoc requiritur; vt qui eas ſumit, iam ſit in ſtatu gratiæ, & liber à reatu mortis æternæ, & ſolùm pro temporalibus pœnis ſatisfacere teneatur. Pro cuius rei intellectu ſciendum, in baptiſmo culpam pariter & pœnam dimitti: in ſacramento autem pœnitentiæ, culpam dimitti, pœnam autem reſeruari. In cauſa autem eſt, quia in baptiſmo homo vetus moritur, & primò fit filius Dei: in ſacramento autem pœnitentiæ deſertor fidei reconciliatur: ergo pœnitentia eſt ſacramentum reconciliationis: baptiſmus autem filiationis. Et hic quidem in baptiſmo culpas & pœnas auferendi modus, innititur diuinæ miſericordiæ: in pœnitentia verò attenditur iuſticia, & innititur iuſtę commutationi, ad quam ſpectant eæ compenſationes, quæ ſecundùm iuſticiam commutatiuam, quæ in Arithmetica proportione conſiſtit eſſe, nominantur.
Hæc autem compenſandi ratio, ad temporales tantummodo pœnas ſe extendit, quæ poſt iuſtificationes ſequuntur. Porrò, ille compenſatio-

penſa‵tiones, vel noſtris propriis, vel alienis redimũtur laboribus: quæ tamen compenſationes, propter communem ſocietatis Chriſtianæ charitatem, propriæ reputantur. *Particeps*, inquit, *ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Itaque remota culpa & dimiſſa pœna æterna, per ſacerdotis abſolutionem, remanet iuſtificatus pœnæ temporariæ obligatus: à qua pœnitentia, ſatisfactione, piis operibus & condonatione Summi Pontificis, per indulgentias ſolui poteſt. Moyſi & Aaron, Deute. 32. dictum eſt: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me, non introducetis populos iſtos*, quibus tamen Deus culpam dimiſerat: vnde & ambo tam ſeuerè puniti ſunt; vt neuter eorum terram promiſsionis ingrederetur.

Maria ſoror Moyſi, infamem morbum incurrit, ſiue lepra ſecundùm faciem percuſſa eſt, quia contra Moyſen fratrem ſuum murmurauit, cui tamen Dominus culpam condonauerat, Numero. 12. Item, Numeror. 14. Senex ille Heli, vt ſcribitur 1. Regum cap. 2. cùm audiſſet à Propheta Samuele, negligentiam ſuam acerbè puniendam, patienter reſpondiſſe fertur, *Dominus*, inquit, *quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Dauidi quoque ſuum peccatum contrito corde confitenti, 2. Regum 12. à Nathan reſponſum eſt: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Poſt culpę verò obliterationem, pœna temporalis luenda remanſit: nam Amon filius Dauid ſororem Thamar fœdaſſe dicitur 2. Regum 13. & idem iſte Amon occiſus: Et Abſolon patrem regno pepulit, qui tandem lancea transfoſus, miſeram coactus eſt mortem ſubire.

Idem Dauid 2. Regum 24. ob numeratum Populum pœnitentiam agit, & à Deo in gratiam recipitur: & tamen poſt remiſſam culpam, datur illi optio, vt eligat in pœnam peccati, bellum, famem, aut peſtem.

Rex Ozias 2. Paralip. ca. 26. grauem Dei incurrit offenſam, & indignationem, quòd ſacerdotis officium ſibi vſurpauerit: correptus à ſacerdotibus, mox pœnituit eum facti: & cùm illi eſſet dimiſſa culpa, remanſit tamen temporalis pœna: nam miſeranda lepra percuſſus, quãdiu vixit, leproſus fuit.

Vbi ſunt ergo qui audent aſſerere, poſt culpæ remiſsionem, nihil pœnarum luendum, & purgandum remanere? cùm ſcriptura tam in veteri, quàm in nouo teſtamento apertè reclamet?

Rex Ezechias, vt ſcribitur 4. Regum. 20. & Iſaiæ 38. cap. quia legatis Regis Babyloniæ theſauros domus ſuæ reſerauit, in filio Manaſſe pœnas dedit: nam Manaſſes carceri Babylonico mancipatus, veram fuiſſe Iſaiæ ſententiam comprobauit.

Simile quiddam Achab regi accidiſſe lib. 3. Regum cap. 21. ſcriptura clariſsimè commemorat. Cùm enim impij in Naboth homicidij patrati ab

trati ab Elia Propheta grauiter argueretur; pœnituit eum nequiſsimi ſceleris, & in cinere & cilicio pœnitentiam egit, cui dimiſſa eſt culpa, ſed pœnas tanti facinoris & criminis tota eius poſteritas dedit, quæ extincta fuit, & prorſus ab hominum memoria ſublata, & ipſe quoq; interemptus eſt.

Nabuchodonoſor Rex Babylonis Danielis cap. 4. audiuit conſilium Danielis: *Peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* De culpæ remiſsione Prophetam ne quidquam locutum fuiſſe, ex hoc ſatis conſtare poteſt, quòd non ad cordis contritionem, ſed ad Eleemoſynarum potius largitionem, eum eſt adhortatus: *nam ſi tradidero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Non igitur Eleemoſynis redimendas docebat Sanctus Propheta præteritas culpas; ſed potius pœnarum reatus, qui in peccatore iuſtificato remanent.

Hoc idem Chriſtus Dominus cõſulere videtur Lucę ca. 21. *Verùmtamen,* inquit, *quod ſupereſt, date Eleemoſynam: & omnia munda ſunt vobis.* In quo non de purgatione culparum Chriſtus eſt loquutus; ſed de reatu pœnarum, pro quarum expiatione, eleemoſynæ inter cætera ſatisfactionis opera numerantur. Sunt quoque in eorum numero, Oratio, Ieiunium, & proprij corporis auſteritas, & rigor. 1. Corinth. 11. *Si nos ipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Vnde Nahum Propheta cap. 1. *Idem peccatum bis non punitur à Deo.*

Patet igitur ex ſuprà dictis, quia dimiſſa culpa, temporalis remanet pœna. Porrò ad amouendas, & auertendas pœnas & plagas temporales, tanquam remedium, ordinatæ ſunt à Deo in Eccleſia Indulgentiæ, infinitus cæleſtium myſteriorum theſaurus, quo theſauro, authoritate & gratia Summi Pontificis clauigeri, redimuntur & perſoluuntur pœnæ, & plagæ temporales. Conceduntur autem Indulgentiæ, non vt homines remiſsiores, ſed vt alacriores, & meliores fiant: vulnus ſanè pro quãtitate plagę congrua requirit ſpatia medendi; breui enim tempore accipitur; ſed non ſic breui tempore curatur: non eſt culpa medici, ſed vulneris: nec ideò medicus cenſendus eſt ignarus, impotens, impius, & crudelis: nec temerè ita omnia ſunt diſpoſita; ſed vt peccator cognoſceret, quàm grauiter offendat, qui in Deũ peccat: denique vt intelligas, quia omnes viæ Domini ſunt miſericordia, & veritas, id eſt, plenæ miſericordia & veritate.

SED DICES, cunctas illas pœnas, quæ peccatoribus poſt culpæ remiſsionem infliguntur: diuina eſſe flagella, & correctiones, baculos & virgas, quæ nequaquam ſita ſunt in hominum voluntate; vt eas homo

homo vitare, declinare, aut aliquo conſilio, & modo auertere queat, aut alicui pro illis ſatisfacere valeat. Satisfactio enim debet eſſe propria, voluntaria, & libera. Reſpondeo, illud omninò non probari, neminem ſcilicet peccare & ſatisfacere in eo, quòd effugere non poteſt: cùm quiſpiam pro ſuis malis operibus morti adiudicatus, iuſtitiæ ciuili ſatisfacit: Sic quoque diuinæ iuſtitiæ luens pœnas, à diuina iuſtitia ſibi præſcriptas. Deinde, Dei non eſt, innoxium pœnis afficere: atqui multos iuſtos, ſiue iuſtificatos eſſe nouimus, quibus remiſſa eſt culpa; ſed pœna temporalis reſeruata: neque iniuſtè actum eſſe cum eis firmiter credere debemus.

SED DICES, Quid ergo crux Chriſti mihi profuit, ſi oporteat me crucem propriam baiulare? Multum per omnem modum: crux enim noſtra nihil nobis proficeret; niſi crux Chriſti præceſſiſſet: cuius virtute fit, vt noſtra crux nobis prodeſſe valeat. Pœnam peccatis noſtris debitam Chriſtus pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus, ait Apoſtolus Petrus, 1. Petri cap. 2. & Apoſtolus Paulus ad Romanos 6. *Vt exhibeamus*, inquit, *membra noſtra, ſeruire iuſtitiæ, ad ſanctificationem*: vt ſicut fuit ſenſus noſter iuxta ſententiam Proph. Baruch ca. 4. vt erraremus à Deo, Decies tantùm iterum cōuertentes, requiramus eum. Hoc ſiquidem eſt ſatisfacere: quātum Deum offendiſti peccando, tantum tibi eum concilies benè agendo. *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.* ad Eph. 4. In iſtorū numero haberi poteſt Zachęus Lucæ 19. *Ecce*, inquit, *dimidium bonorum meorum do pauperibus: & ſi aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Quapropter rectè dictum eſt à Beato Ambroſio Serm. 15. *Nos quoque*, inquit, *ſi tam graue peccatum fuerit, vt minimè ſolis fletibus abluatur, addamus miſericordiæ oleum, acrimoniamq́; ieiunij. Nullum enim tam graue delictum eſt, quod non purgetur abſtinentia, eleemoſynis extinguatur. Iſta eſt ſatisfactio, quæ alio nomine Matth. 3. ſic vocatur: Facite, inquit, dignos fructus pœnitentiæ. Similiter & diuinus Apoſtolus hortabatur in Actis Apoſtolorum vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Dominum Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Baſilius Homilia 32. in Pſalm. *Conuitiatus es*, inquit, *benè dicito: plus quàm oportet accepiſti, reddito: ebrius fuiſti, ieiunato: arrogans fuiſti, humiliare: inuidiſti, cōſolare: occidiſti, martyrium pro gratia ſubi, vel proprium corpus afflige. Ne ceſſet*, inquit Cyprianus tractat. 5. de lapſis, *in agenda pœnitentia: ne, quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur.*

Iuſtinus Quæſtione 79. *Cùm omnium Regum Iſraëlitarum, & Iudæ-*

orum

orum ardentiſſimum religionis ſtudium præſtiterit Ioſias, inquit; quî factum eſt, vt gentili gladio vitam cum morte commutârit? In cauſa, inquit, fuit, quòd non obtemperauit Ieremiæ præcepto, qui ei iuſſu Dei nunciauerat, ne in prælium exiret. Vt igitur eum purum à peccatis reciperet, ſuæ inobedientiæ gladio gentili pœnas dedit.

D. Auguſtinus de peccatorum meritis, & remiſſione lib. 2. ca. 34. rectè colligit: *Si dimiſſa culpa nullus reliquus eſſet ad pœnam reatus, Adam profectò mortuus non eſſet, teſte Salomone Sapient.* 10. *Eduxit eum Dominus, inquit, à delicto ſuo, atque ita dimiſſo illo delicto, mors quæ eſt ſtipendium delicti, in eo locum habere non poterat.* Item, *Grauius eſt peccatum mortale actuale, quàm originale: quia illud eſt naturæ, hoc autem propriæ voluntatis. Sed remota culpa originalis per Baptiſmum, remanet eius reatus, carnis ſcilicet concupiſcentia: multò ergo magis dimiſſa mortalis culpa per pœnitētiæ ſacramentum, remanet pœna temporalis.* Item, in libro de Pœnitentiæ medicina cap. 2. idem Auguſtinus: *In hac*, inquit, *Pœnitentia, maiorem in ſe ſeueritatem vnusquisque debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Deo.*

CHRYSOSTOMVS de Lazaro, Concione 3. *Vides*, inquit, *quomodo hîc inflicta pœna, liberat à pœna, quæ illic eſt. Vnusquisq; igitur ſe puniat, cruciet, affligat; vt depoſitis peccatis, multa cum fiducia ad vitam æternam proficiſcatur.*

Recte ergo dictum eſt à Propheta Dauid, Pſalm. 50. *Et delictum meum contra me eſt ſemper. Sit ergo ante nos, vt contra nos eſſe non poſſit: illud igitur conuerſatio noſtra non obliuiſcatur, compunctio verò recordetur: illud reatus confeſſionis oſtendat, & virtus ſatisfactionis abſcondat.* Hæc Bernardus Sermo. 55. in Cantica.

Philo Iudęus lib. 2. de Monarchia: *Manent*, inquit, *in animis cicatrices quædam, et veſtigia nequitiæ priſtinæ.*

Hoc idem ab Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo ſcriptum eſt: *Si peccatum Dauid, tam deteſtabile Dominus tranſtulit; quid eſt, quòd omnia quæ de eodem peccato per Prophetam ei à Domino dicta ſunt, poſtmodum tolerauit? Sed procul dubio Dominus delet illud, ſed ſine vltione non deſerit: aut enim ipſe hoc homo pœnitens in ſe punit: aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcit, quòd nullatenus ſine vindicta dimittit. Si enim Dauid audire poſt conuerſionem meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum: tamen & multis pòſt cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum quem perpetrauerat, exſoluit. Si nos ſalutis vnda à culpa primi parentis abſoluit, ſed tamen reatum eiuſdem culpæ diluentes, abſoluti quoq; adhuc carnaliter obimus; quia delicta noſtra, ſiue per nos, ſiue per ſeipſum reſecat, etiam cùm relaxat: Ab electis enim ſuis iniquitatum, ma-*

tum, maculas ſtupet, temporali afflictione tergere, quas in eis, in perpetuum non vult vindicare. Quod idem iiſdem propè verbis in Moralibus lib. 9. cap. 27. à beato Gregorio magno ſcriptum legimus, qui fuiſſe videtur ducentis plùs minùs annis poſterior.

His ſubſcribit Gregorius Nazianzenus in oratione, qua cohortatur ad baptiſmum. *Cùm,*inquit,*alia non ſit, ſiue detur regeneratio, neq; refectio, neq; priſtinum in ſtatum reſtitutio; licèt ea maximis gemitibus, et lacbrymis, ex quibus vt ego quidem ſentio, atq; ſtatuo vix cicatricis obductio ſequitur, inquinamus, etc.* *Quàm ergo neceſſaria, & quàm benigna eſt diuina clementia, quæ cùm ſciat non deeſſe ſanitatis quædam poſtmodum vulneri, dedit curandis, ſanandisq; denuo remedia ſalutaria.* Hæc Cyprianus Sermo. I. de eleemoſyna.

ATHANASIVS in libro de blaſphemia in Spiritum ſanctum, *Inter baptiſmum*, inquit, *et pœnitentiam, hoc intereſt, quòd cùm pœnitentiam quis agat, ceſſat quidem à peccando, ſed habet vulnerum cicatrices: qui verò baptizatur, veterem quidem hominem exuit; renouatur autem, vt denuò renatus per Spiritus ſancti gratiam.* Baſilius quoque in Homelia de pœnitentia: *Eſt ſpes poſt peccatum, inquit, eſt ſanatio poſt vlcus, ſed manet cicatrix. Et ſic patet, dimiſſa culpa, manere reliquias peccatorum, quæ per indulgentiam poſſunt tolli.*

PORRO DE POENIS TEMPORALIBVS, Catholici in ſumma tria docent.

PRIMÒ. Pœnas temporales, in futura vita, quæ in Purgatorio luendæ eſſent, redimi poſſe ieiunijs, precibus, eleemoſynis, & alijs pijs, ac laborioſis operibus huius vitæ.

SECVNDÒ, pœnas temporales huius vitæ, interdum non poſſe redimi; ſed neceſſariò perpetiendas eſſe: id quod extra omnem controuerſiam eſse videtur. Deus enim aliquando ita pœnam aliquam conſtituit, vt nullam pro ea redemptionem accipere velit. Talis inprimis pœna mors eſt, quam nullus quantumùis iuſtus, vllo pio opere auertere potuit. Talis fuit illa pœna Dauid 2. Regum 12. Quia blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Tametſi enim Dauid ieiunauerit, & humi proſtratus orauerit; non tamen mortem illam filij redimere potuit. Talis etiam fuit pœna illa Moyſis, ne intraret in terram promiſsionis ob peccatum, quod ad petram Oreb commiſerat: rogauit enim Moyſes (vt ipſe teſtatur Deutero. cap. 3.) Deum, vt pœnam illam ſibi condonaret, & non eſt exauditus: vide ſanctum Gregorium lib. 9. moralium cap. 30. in illa verba ſancti Iob, Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt.

TERTIO, Poſſe aliquando pœnas temporales huius vitæ aliis operibus tolli, id quod tam eſt in ſcripturis euidens; vt mirum ſit ab vllo negari potuiſſe. Certe Niniuitæ, ob grauia peccata meruerant id, quod Deus illis comminatus fuerat, vt poſt quadraginta dies Niniue ſubuerteretur; & tamen ieiuniis, ſaccis, & precibus Niniuitarum placatus Dominus, ciuitatem illam conſeruauit, Ionæ cap. 4.

Caput III.

DE FORMA INDVLGENTIARVM.

IVxta antiquam formam Indulgentiarum, in Eccleſia ſancta Catholica Indulgentiæ, non niſi de iniunctis pœnitentiis communiter conferebantur: quia in ortu Eccleſiæ, vt pœnitentiales Canones teſtantur, pœnitentiæ ita ad iuſtum ſolitæ fuerunt imponi, vt nihil iudicio, & arbitrio ſacerdotis relinqueretur in Purgatorio ſoluendum. Alioqui ſancti illi Patres, non arbitrabantur legittimè poteſtate clauium vti: tunc enim feruor ſanguinis Chriſti, in cauſa erat; vt Chriſtiani ad nutum eſſent obſequentes Eccleſiæ. Quamuis autem communiter, hæc moderatio, quòd dantur in forma antiqua, ſolet opponi; tamen non in omnibus indulgentiis illa moderatio legitur: quia nulla lex prohibet, ne de aliis conferantur: quoniam nullibi talis lex eſt ſcripta. Quamobrem obſeruanda eſt forma, quæ indulgentiis inſcribitur. Amplior enim eſt, quæ conceditur ſub hac forma, *Concedimus vnum annum pœnitentiæ indulgendæ:* quàm ſub hac, *Remittimus vnum annum purgatorij*: eò quòd magis ſatisfaciamus per opera pœnalia in hac vita exhibita. Porrò indulgentiæ, quæ in forma communi conceduntur, nulla habita ratione ad pœnitentias iniunctas: exempli gratia, quando forma indulgentiæ ſic eſt inſcripta, *Concedimus quadraginta dies indulgentiarum remiſſionis peccatorum:* incertum eſt, an æquiualeant pœnitentiæ expetendæ in Purgatorio, an pœnitentiæ in hac vita luendæ: huiuſmodi enim valor ex intentione pendet concedentis, quæ in Bulla non exprimitur. Deinde, non eſt ſilentio prætereunda illa clauſula, *Concedimus indulgentiam plenariam*: PLENA ſanè dicitur indulgentia, per quam pro mortalibus dimiſsis, omnis pœna ineunda dimittitur, ſiue ſit pœnitentia iniuncta, ſiue non: *Plenior*, quãdo remittitur omnis pœna, tàm pro mortalibus, quàm pro venialibus luenda peccatis: *Pleniſſima* verò, cùm non ſolùm pro pœna, verũ etiam pro culpa venialium conceditur.

Cæterùm, quando indulgentia conceditur generaliter, abſque determi-

terminatione cauſæ: puta, ſi conceditur his, qui porrigunt manus adiutrices, ad aliquam Baſilicam erigendam, ſiue reſtaurandam, indulgentia quadraginta dierum; tunc qui plus erogauerit, ampliorem conſequitur indulgentiam, quantùm ad intenſionem, æqualem verò, quantùm ad extenſionem. BONIFACIVS Papa eius nominis Octauus, in Extrauag. Antiquorum: *Vnusquisque*, inquit, *plus merebitur, & efficacius indulgentiam aſſequetur, qui Baſilicam Petri & Pauli ampliùs, & deuotiùs frequentauerit. vnde ſi duo æque diuites, pro conſtruenda Baſilica eleemoſynam elargiti fuerint, vnus quidem decem, alter verò viginti florenos vngaricos: vterq; quadraginta dierum indulgentiam conſequitur. ſed qui viginti obtulit; ita ei prodeſt, ac ſi duplo ſatisfeciſſet. In pauperum autem oblatione, animi promptitudo penſatur, non cenſus magnitudo, vt patet Lucæ 21. de eleemoſyna viduæ pauperculæ. Quando verò indulgentia cauſam habet determinatam, vtpotè, qui audierit Miſſam Corporis Chriſti, conſequetur 40. dies indulgentiarum tantùm. Si quispiam deuotiùs audierit, non ampliorem conſequetur indulgentiam: eò quòd non plures dies virtute indulgentiarum remittuntur vni, quàm alteri. Siquidem, Indulgentia ex Chriſti & ſanctorum meritis, iuxta voluntatem diſpenſantis, non autem ex labore & deuotione recipientis proportionem recipit. Diſpenſans autem, cùm non velit plus applicare, niſi quadraginta dies; non plus ergo vni quàm alteri tribuitur intenſiuè aut extenſiuè: ſi autem intentio dantis eſt, vt qui cum maiori labore, maiori q; deuotione acceſſerit, ſicut videtur veriſimile, ampliorem indulgentiam conſequatur; abſque dubio maiorem conſequetur.*

In omnibus autem indulgentiis dicitur, VERE POENITENTIBVS, CONTRITIS, ET CONFESSIS, ſaltem in forma Eccleſiæ.

VERE POENITENTIBVS. In quo verbo intelligitur, quòd vis affectus pœnitentialis in pœnitente vigeat ſecundùm veritatē, & non tantùm per excluſionem cōtrarij: & ſic verè pœnitens hoc modo non poteſt eſſe niſi ſollicitus ad ſatisfaciendū per ſeipſum. Ex quo patet, quòd negligentes non conſequuntur indulgentiam. Cōſtat etiam per aliud verbum cùm dicitur, *De iniunctis ſibi pœnitentijs*: nam pœnitentia nō iungitur, niſi parato ſatisfacere. Ex quo duo ſequuntur (ex tali forma verborum) videlicet, quòd indulgentia non abſoluit, niſi ab iniunctis pœnitentijs, & tantùm paratos ad ſatisfaciendum: nam quando indulgentia mixta eſt cum opere bono, vt puta cum ieiunio, poteſt eſſe melior, quàm ſatisfactio pœnitentialis; quoniam habet vltrà indulgentiam alias virtutes ad hoc requiſitas, & officia quæ in pœnitentiali ſatisfactione dignè executa obſeruantur, vt in ieiunio quadruplex effectus conſideratur. Hoc enim opus, PRIMÒ bonum facit ope-

rantē, & ad alia bona opera diſponit. SECVNDÒ medetur ex eo, quòd eſt tale opus, vt ieiunium, quod eſt medicina contra carnis concupiſcentias, & eleemoſyna contra auaritiam. TERTIÒ, quod ex charitate procedit, meritorium eſt vitę æternæ. QVARTÒ ex eo, quod pœnale eſt. Satisfactorium etiam pro pœna temporali, pro peccato debita inuenitur. Indulgentia autem non ſuccedit loco ſatisfactionis pœnitentialis, niſi quòad vltimum effectum, ſcilicet ſatisfactionis: *Non enim ex vi indulgentiæ homo fit bonus, nec medicatur, nec meretur; ſed tantùm ſoluit pœnam, quam per pœnitentiam ſolutſſet.* Et propter hoc doctores conſulunt aſſequentibus indulgentias, adimplere nihilominùs ſuas pœnitentias, & meritum longè melius prædicant, quàm indulgentias. Ex quo ſequitur, quòd quis fruſtrà faceret ſibi imponi magnam pœnitentiam, non intendens per ſe ſoluere; ſed per indulgentias. Intellige tamen præparatum ad ſatisfaciendum per id, quod imponitur, vel per aliud æquiualens, vel maius.

Item in Bulla poni ſolet, MISERICORDITER INDVLGEMVS: Ergo indulgentiarum conceſsio eſt vera abſolutio, & remiſsio pœnæ, quæ fit virtute paſsionis Chriſti & ſanctorum. Eſt in indulgentia miſericordia, eſt & iuſtitia: & per miſericordiam homo ligatus abſoluitur, per iuſtitiam autem pro eo de theſauro Eccleſiæ ſoluitur.

Nota: antiquæ formæ indulgentiarum, quę in ſubſidium hoſpitalium conceduntur, fit mentio in Concilio Lateraneñ. cuius Canon refertur cap. Cùm ex eo. de pœnitentia & remiſsione.

PRÆTEREA, Dubium eſt hîc, quomodo intelligantur huiuſmodi indulgētię quadraginta dierum, aut vnius anni, aut ſeptem pœnitentiæ? Quinimo ſolent nonnunquam inuulgari indulgentiæ, quibus remittuntur quinque annorum millia, aut plura pœnitentiæ, & Quadragenæ totidem. Ad hoc prima fronte reſponſio dari poſſet cum Gerſone Cancellario Pariſieñ. in ſuo tractatu de abſolutione ſacramentali, atque in alio de indulgentijs: quòd iſtæ portentoſæ indulgentię, non emanant à Papa; ſed ſunt Quæſtorum impoſturæ. Quare præfatus Doctor illas irridet. *Et reuera tam immodicos exceſſus*, inquit Dominicus à Soto Diſtinct. 21. Quæſt. 2. Articulo 1. *non eſt ferendus: nam audies nonnunquam indulgentias viginti mille annorum, & eò ampliores. At verò, quæ moderatius cōferuntur, ſolidæ ſunt, opus eſt explicare, quid ſonat quadraginta dies, aut vnus annus, aut ſeptem pænitentiæ. Poteſt enim intelligi, aut de pœna quæ in purgatorio tollenda eſt; aut de pœnitentia, quæ fit in hoc ſeculo. Et apparet, quòd intelligatur de pœna in purgatorio luenda, nam indulgentia debet eſſe certa: illa verò pœnitentia quæ in ſacramento imponitur, licèt quantum ad tempus ſit æqualis; non tamen quan-*

quantum ad aſperitatem & rigorem. Nam antiquitus, licèt tam pro adulterio, quàm pro homicidio imponerentur ſeptem anni pœnitentiæ; non tamen tot ieiunia & orationes imponebantur in illis annis pro vno peccato, quàm pro alio. Imò & ſecundùm qualitatem perſonarum, etiam eædem pœnitentiæ moderabantur, & vel mitigabantur, vel augebantur. Dum ergo viſitantibus talem Eccleſiam, aut conferentibus talem eleemoſynam, remittuntur ſeptem anni, ſi intelligerentur de pœnitentijs huius ſeculi, non fieret omnibus æqualis remiſsio: intelligitur ergo de alijs purgatorij, vel de vtriſq; ſecundùm proportionem. Hæc Dominicus à Soto, vbi ſuprà.

Idem Dominicus à Soto ibidem. *Inde etiam planè conſtat, quòd nemo in purgatorio vnquam fuit viginti, imò forſan nec decem annis, ne paucioribus dicamus. Quare inane eſſet centũ annos pœnæ purgatorij remittere, cùm in indulgentijs, quandoque habeantur mille, & multò plures. Item, animaduertendum, quòd per illos ſeptem annos, non fiebat remiſsio in purgatorio ſeptem quoque annorum, imò forſan neq; vnius menſis, in quo multos deceptos videas. Nam etſi ſpontanea pœnitentia huius ſeculi, plus valeat ad remiſsionem pœnæ, quàm æqualis in purgatorio; intelligitur tamen cæteris paribus. Si enim quiſpiam hîc per vnum diem pati poſſet pœnam tam grauem, quanta eſt in purgatorio; profectò remitteretur ei pœna vnius mẽſis: ſed tamen, quòd per ſeptem annos hîc quiſpiã dicat quotidie* AVE MARIA, *vel ieiunet ſemel in mẽſe, vel recitet Pſal. pœnitentiales; certè non ſufficit ad remittendũ in purgatorio pœnam vnius menſis; ſanè cùm illa extra omnem cõparationẽ ſit vehementior & acerbior: igitur remiſsio ſeptem annorum pœnitentiæ, eſt remiſsio pœnæ, quæ in purgatorio reſpondet pœnitentiæ hîc ſeptẽ annorum aſſumptæ. Quòd ſi dicas, non ſemper imponebantur omnes illi anni. Reſpondetur, quòd ſi pœnitentia imponebatur de iniunctis; ſanè non remittebatur niſi pœna purgatorij, quæ reſpondet iniunctæ ſi fieret: ſi autem non fieret talis limitatio, intelligeretur de illis etiam, quæ mediata ratione eſſent iniungendæ: quarum pœnitens ſecundùm menſuram ſuorum delictorum reus eſſet. Et iſto modo, nec ridiculum eſt, nec ſanè vanum indulgentias concedere centum, imò mille annorum: nam poſſet homo commiſiſſe centum, imò bis centum peccata mortalia, pro quibus reus eſſet tot annorum pœnitentiæ: & quamuis homo tantum viuere nequeat, nec decimam partem illius pœnitentiæ facere in hoc ſeculo; nihilominùs in purgatorio, ſecundùm æqualitatem iuſtitiæ, exigenda eſt illa pœna, quæ illis omnibus annis reſponderet. Ex his ergo colligitur, quòd remittere mille annos pœnitentiæ, non eſt remittere in purgatorio decem.* Hæc Dominicus à Soto, vbi ſuprà.

Cætera, quæ ad formam indulgentiarum pertinent, lege concluſione 4. & 5. & 6.

Caput IIII.

De Valore Indvlgentiarvm.

AD hoc autem, quòd huiusmodi Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa rationabilis, ſine qua non eſſent validæ, ſed in diſcreto; & ſic eneruarent ſatisfactionem pœnitentialem, capite Cùm ex eo. de pœnitentia & remiſs. Et ſic, ſi darentur pro cauſa prophana, vt pro nutriendis meretricibus, nullæ eſſent. Similiter ad efficaciam tantæ indulgentiæ, puta annorum centum, vel mille, exigitur rationabilis cauſa, non ſolùm indulgentiæ; ſed etiam tantæ quantitatis, qua non exiſtente, indulgentia eſt inualida. Nam ſicut Papa non poteſt ex ſolo imperio voluntatis, bona temporalia donare, ſed ex cauſa rationabili; ita neque hæc bona ſpiritualia, quæ precioſiora ſunt temporalibus: aliter eſſet non diſpenſator, ſed dilapidator. Ex quo ſequitur, quòd tanta cauſa ſit, pro tanta indulgentia, & maior pro maiori ſecundùm proportionem: aliter cauſa non eſſet rationabilis, & conſequenter indulgentia inualida. Non enim eſſet rationabile, quòd iſte pro vno, ieiunia haberet centum dies de indulgentia, & alius vt ſic haberet mille annos.

Et quoniam poſſet eſſe dubium, an cauſa expreſſa in Bulla eſſet rationabilis, & homines ſemper in ambiguo eſſent: ideò dico, quòd cauſa indulgentiæ expreſſa in Bulla, niſi manifeſtum contineat errorem, ſemper debet præſumi rationabilis; ſicut ſententia lata à iudice, iuſta præſumitur, niſi contineat manifeſtum errorem. Non tamen cauſa expreſſa in Bulla in veritate eſt rationabilis ſemper: quia Papa in iſtis poteſt errare, cùm non ſit de his, quæ pertinent ad ſententiam iudicialem fidei: licèt ad fidem pertineat, quod indulgentia ritè, & legittimè data valeat, non tamen in particulari, quòd hæc valeat, niſi ſuppoſito, quòd ritè & legittimè ſit data. Non tamen diſcutiendum eſt à nobis, an cauſa ſit rationabilis nec ne? niſi error manifeſtus appareat, & quò ad cauſam, & quò ad quantitatem indulgentię: Et Praedicatores nvnqvam debent assertive praedicare hvivsmodi; sed recitative, vel opinative, ne falsas praedicent, et alios in errorem indvcant. Et quando dicitur, quòd indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant; intelligendum eſt negatiuè, id eſt, non plus valent, quàm ſonent: vel intelligitur de diſcretis, quò ad cauſam: vel intelligitur in foro exteriori, in quo ſtatur præſumptioni iuris, & ſic populus in huiuſmodi non decipitur ab Eccleſia, ſed vel à dante, vel aliunde, ſi falſæ ſint.

D. Tho-

D. Thomas ſuper 4. ſententiarum, Diſtinctio: 20. *Indulgentia tantum valet, quantum ſonat, id eſt*, quatum prædicatur: ſi modò adſit cauſæ pietas. Richardus ſuper 4. ſent. Diſtinct. 20. Artic. 3. Quæſt. 1. *Indulgentiæ ſi dantur ab eo, qui poteſt eas dare, & propter rationabilem cauſam, ſcilicet, ad laudem, gloriam, & honorem Dei, & vtilitatem Eccleſiæ, valent his qui ſunt in ſtatu gratiæ, dum tamen faciunt id, quod continetur in forma indulgentiæ: nam per indulgentias, remittitur vel tota pœna peccatis debita, vel eius portio, ſecundùm ipſarum tenorem.*

Paludeñ. ſuper 4. ſente. Diſtinct. 20. Quæſtio. 4. dicit, quòd in valore indulgentiarum triplex eſt cauſa: vna ex parte Chriſti: alia ex parte ſanctorum: tertia ex parte Eccleſiæ. Idem, *Indulgentia tantum valet, quantum ſonat: hoc eſt, non ſolùm in foro Eccleſiæ, ſed etiam apud Deum, & in purgatorio.* Idem, *Tantum valet, quantum ſonat: puta quadraginta dies indulgentiæ, valent quadraginta dies pœnitentiæ, ſiue ſit iniuncta, ſiue non. Eſt autem in arbitrio dantis indulgentiam taxare, quantum remittatur de pœna, vt dicit S. Thomas.*

Vel ſecundùm alios, *Tantum valent, quantum ſonant*, ſecundùm taxationem factam à ſacerdote, vel à lege, vel à diuina iuſtitia. Si verò detur remiſsio plenaria omnium peccatorum; ille, qui ipſam lucratur, ſi tunc moriatur, ſtatim euolabit in paradyſum. Et ſic vni tantum quandoq; valet plenaria indulgentia ad decem dies, alij ad centum, alij ad mille, quia tantum tenebatur: quibus abſolutis, remanet expeditus. Vide Paludeñ. vbi ſuprà. Alij, *tantum valent, quantum ſonant:* Intelligunt ſic: Si tu pro peccatis tuis, ex ſubſtantia tua feceris eleemoſynam, iuxta illud Tobiæ 4. quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribuè: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Prœmium enim bonũ tibi theſaurizas, in die neceſsitatis: quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Summo Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam. Et Daniel. cap. 4. *Quamobrem Rex Nabuchodonoſor, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.*

Valeant itaque indulgentiæ, ſi implentur conditiones, quæ in Bulla continentur; vt ſcilicet faciat, vel det hoc, vel illud: et non ſolùm valet illi, qui implet conditionem: verùmetiam alij, pro quo hoc fit, ſiue viuus ſiue mortuus: dum tamen forma indulgentiæ hoc habeat: vt puta quod dicatur: *Quicunq; hoc fecerit, vel pro quocunq; hoc fecerit, ſiue viuus ſiue mortuus, habeat tantum de indulgentia.* Secus autem, ſi forma hoc non habeat: quia ille, qui dat indulgentiam, eſt diſpenſa-

tor, & applicat cui vult, non autem ille, qui non implet conditionem.

PORRÒ, An per modum ſuffragii, vel iudiciariæ poteſtatis indulgentiæ valeant defunctis, Scholaſtici certant. Antiqui Scholaſtici, vt Alexander de Ales parte 4. Quæſtio. 83. membro. 5. & poſt eum S. Bonauentura lib. 4. Diſtinctio. 20. Quæſtio. 5. Et Gabriel lectione 57. Canonis, vult, tenet, & probat authoritatibus Summorum Pontificum; quòd indulgentiæ valent defunctis per modum ſuffragii, quando & Summi Pontifices dederunt plenarias indulgentias, pro animabus in purgatorio, viſitantibus Eccleſiam beati Laurentii, extra muros vrbis: vide ibi latius.

Et dicitur per modum ſuffragii, quòd non eſt intelligendum, quòd quaſi modus ſuffragii tollat efficaciam indulgentiarum; ita quod opus illud, pro quo dantur indulgentiæ, factum pro animabus, non plus valeat animabus factum, quàm ſi idem opus, vel ſuffragium factum eſſet, pro eis, nullis indulgentiis adiunctis, ſicut quidam intelligere voluerunt. Sic enim fruſtrà daretur indulgentia pro animabus. Sed quòd dicitur per modum ſuffragii, excludit modũ iudiciarię poteſtatis, qui dicit iudicialem abſolutionem & pœnæ debitæ, in aliam pœnam voluntariè ac deuotè aſſumptam commutationem.

Et ille modus iudiciariæ authoritatis, tantùm habet locum in viuis, qui iudicialiter abſoluuntur, & quibus pœna debita in aliam voluntariè ab eis, ac deuotè abſumptam commutatur.

Viui enim duntaxat aſſumũt illud opus, vt puta peregrinationem, eleemoſynam, orationem, contributionem ad opus ſalutare, vel aliud huiusmodi pro quo dantur indulgentię: & ita indulgentię proficiunt eis per modum ſuffragii, id eſt, propter aliquod opus ab alio factũ, & eis per modum ſuffragii applicatũ. Gabriel multò plura, vbi ſuprà. Hanc ſententiam tenet Alexand. de Ales: & S. Bonauentura, vbi ſuprà.

CONTRA, Gerſon videtur declinare à prædictis parte 4. Sermone pro defunctis.

Item, Reuereñ. Pater Hannibal Roſelli, cap. 7. de indulgentiis, lege ibi totum.

Præterea, Sanctus Bonauentura, indulgentias vocat relaxationes, & dicit lib. 4. Diſtincti. 20. vt indulgentiæ valeant, exigitur duplex conditio: ſcilicet ex parte donantis, & ex parte recipientis. Ex parte donantis requiritur authoritas ordinata, poteſtas honeſta, & cauſa rationabilis. Ex parte recipientis exigitur confeſsio, cum vera contritione, & fides cum vera deuotione, vt verè de peccatis ſit pœnitens, & verè confidens, quòd paſtoris indulgentia valet ſibi. Hoc idem tenet Brulifer lib. 4. Diſtinctio. 20. Quæſtione 9. Non diſcrepat D.

Thomas

Thomas, qui ponit quatuor requiſita ad valorem indulgentiarum lib. 4. Diſtinctio. 20. Benè ergo admonet Ioannes Gerſon, Cancellarius Pariſieñ. parte ſecunda, Tractatu de indulgentiis, conſideratione 12. *quia indulgentiarum Conceſſio, non eſt parui facienda, non eſt contemnenda; ſed deuotè amplectenda in fide, ſpe, & charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui poteſtatem talem clauium Eccleſiaſticarum dedit hominibus. Conſtat enim, quòd fructuoſior eſt, & acceptabilior Deo, & hominibus operatio talibus innitens indulgentiis; quàm altera (& hoc cæteris paribus) non innitens. Cõſilium igitur eſt ſolum & ſanum, quòd abſq; curioſa diſcuſſione de præciſa, vel euidenti, & certa quantificatione, ſeu menſuratione huiuſmodi indulgentiarum ſtudeat homo prius tales acquirere, ſeu qualitatem & facultatem ſuæ deuotionis: pondus autem valoris illi relinquere, qui omnia fecit, & facit in numero, pondere, & menſura,* Sapient. 11. Timendum enim eſt, ne nobis dicat Vriel, ſicut dixit Eſdræ, 4. Eſdræ cap. 4. *Tres vias miſſus ſum oſtendere tibi, & tres ſimilitudines proponere coram te: de quibus, ſi renunciaueris vnam ex his, & ego demonſtrabo tibi viam altiſsimi, quam deſideras videre, & docebo te, vnde ſit cor malignum. Et dixi, loquere Domine meus. Et dixit ad me: vade pondera mihi pondus ignis, aut menſura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, qui præterijt. Et reſpondi, & dixi: Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his? Et dixit ad me: Si eſſem interrogatus te, dicens: quantæ habitationes ſunt in corde maris, aut quantæ venæ ſunt in principio abyſsi, aut quantæ venæ ſunt ſuper firmamentum, aut qui ſunt exitus Paradyſi: diceres mihi fortaſis, in abyſſũ non deſcendi, neq; in infernum adhuc, neq; in cælum vnquam aſcendi: nunc autem non interrogaui te, niſi de igne & vento, & die, per quam tranſiſti, & à quibus ſeparari non potes, & non reſpondiſti mihi de eis. Et dixit mihi: Tu, quæ tua ſunt tecum coadoleſcentia, non potes cognoſcere; & quomodo poterit vas tuum capere altiſsimi viam, & iam exterius corrupto ſeculo intelligere corruptionem euidentem in facie mea? &c.* Ergo pondus & valorem indulgentiarum relinquamus Deo, quia ſcriptura dicit Prouerb. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus.*

Caput V.

DE CAVSA EFFICIENTE, ET FINE INDVLGENTIARVM.

Efficiẽs Cauſa indulgentiarũ eſt multiplex. PRIMA principalis, immediata, vna cauſa per ſe, eſt Deus, cui propriũ eſt miſereri dimittere peccata, & parcere: ille ſua diuina gratia, propria authoritate, ſine noſtris meritis, propter nomen ſuũ, confert, dat, & diſtribuit liberaliter, mirabiliter, &

ter, & inuiſibiliter indulgentias iuxta illud Iſaiæ cap. 43. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc in memoriam, & iudicemur ſimul: narra, ſi quid habes vt iuſtificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me, & contaminaui principes ſanctos, dedi ad internecionem Iacob, & Iſraël in blaſphemiam.* Sciuit hoc Dauid, propterea orat dicens: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Pſalm. 50. Idem Ezechiel. ca. 36. vt ſuprà Notabili 2. cap. 4. Item Act. cap 4. *Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad ſacerdotes, & magiſtratus templi, & ſacerdotes principes populi, & Seniores Iſraël. Audite: ſi nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt; notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in alio aliquo ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Item, ad Rom. cap. 8. *Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Item, ad Epheſ. cap. 2. *Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos: & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) et conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu; vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos,* (quam communicauit nobiſcum dando indulgentiam) *in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt: non ex operibus,* vt ne quis glorietur. *Ipſius enim ſumus factum, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, vt in illis ambulemus.*

MEDIATA verò Cauſa efficiens eſt triplex, ſuprema, media, infima. Summa, prima, principalis, & meritoria remiſsionis peccatorum, & indulgentiarum omnium cauſa, fons & origo eſt homo Chriſtus Ieſus Meſsias, Dominus, mediator, redemptor, & ſaluator noſter, de quo ſcriptum eſt Pſalm. 129. *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Item, ad Hebræ. 1. *Chriſtus ſplendor gloriæ patris, & figura ſubſtantiæ eius: portansq́; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* Item, 1. Petri 2. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis.* Item, 1. Ioann. cap. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis: Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum, iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris*

autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Item, ibidem. *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata, propter nomen eius.* Item, Apocal. 1. *Chriſtus dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo, ipſi gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.*

CONCAVSAE ſunt, vt Beata Dei genitrix virgo Maria: omnes electi à primo iuſto, vſque ad vltimum: & ſancta mater Eccleſia Catholica, cum ſuis paſsionibus, & meritis.

Sanctæ Mariæ paſsiones & merita, ceſſerunt in theſaurum indulgentiarum, & ſunt cauſæ indulgentiarum: quando impletum eſt in ea, quod illi dictum furat à Simeone iuſto, & timorato, Lucæ 2. *Et tuam ipſius animam pertranſiuit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes:* Vnde & ipſamet beata Dei genitrix virgo Maria, Deo gratias agens dicit, Lucæ cap. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.*

Sanctorum paſsiones & merita, ceſſerunt in theſaurum indulgentiarum: quia Iob cap. 6. dicit: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior, in ſtatera: quaſi arena maris hæc grauior appareret.*

Item, B. Paulus ad Coloſſen. cap. 1. *Et vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis; nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo: ſi tamen permanetis in fide fundati ſtabiles, & immobiles à ſpe Euangelij, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura quæ ſub cælo eſt, cuius factus ſum ego Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

De meritis Eccleſiæ Catholicæ, D. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 28. ſcribit ſic: *Eccleſia quædam forma iuſtitiæ eſt, commune ius omnium: in commune orat: in commune operatur: in commune tentatur.* Hoc idem docet D. Auguſtinus libro de vera & falſa pœnitentia. Ergo ex ſuprà dictis Corollarijs ſequitur, quia opera Eccleſię valent ad tollendas aliorũ pœnas, quorum moderator & diſtributor eſt Pontifex Romanus.

CAVSA ſecundùm Deum & Chriſtum prima viſibilis, ſubalternata, ordinata à Deo dependens, gubernans, quæ attingit à fine ad finem fortiter; & diſponit omnia ſuauiter, diſpenſans, ſeruiens, & ſubalternans, eſt S. D. N. Summus Pontifex Clemens octauus, Papa Romanus feliciter modernus: nam teſte D. Thoma Aquinate ſuper 4. Senten.

Diſtinct.

Diſtinct. 20. Argument. 4. Similiter Paludeñ. in loco ſuperius allegato, & alijs Scholaſticis Doctoribus, SOLVS PAPA HABET PLENARIAM POTESTATEM DANDI INDVLGENTIAS: Alij autem ſecundùm taxationem, & diſpenſationem eius. Ratio: quia Papę in perſona Petri primò, principaliter, & conſumatiuè Chriſtus filius Dei viui dixit, Math. 16. cap. *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Origenes ſuper Matth. *Solus Petrus*, inquit, *Romanus claudit & aperit regna cælorum: alij verò ab eo miſſi, claudunt & aperiunt regnum cælorum.* Sed iam ea de re ſuperius Notabili 2. cap. 8. & Notabili 3. cap. 6. diximus, & adhuc Deo adiuuante in Concluſionibus plenius dicturi ſumus.

CONCAVSAE ſunt huius primæ viſibilis cauſæ, Epiſcopi in partem ſolicitudinis aſſumpti, & à Summo Pontifice Romano Papa in myſterium miſsi. Hi cum Summo Pontifice, & aliis ſacerdotibus, portant arcam Teſtamenti: Deut. 10. & 31. arcam, in qua eſt reconditus cæleſtis theſaurus indulgentiarum, cum myſterio reconciliationis: & per eos Deus dat Iubileum & Indulgentiam populo ſuo, tanquam per media ordinata, electa, & in miniſterium Eccleſiæ miſſa: iuxta illud, 2. ad Corint. cap. 5. *Si qua ergo in Chriſto noua creatura eſt, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua*, (Apocal. 21.) *omnia autem ex Deo qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis: Quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi: nec reputans illis delicta ipſorum: & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo: eum enim qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* Admonent hoc loco Scholaſtici, quia generale concilium, legittimè in Spiritu ſancto congregatum, poteſt dare indulgentias; ſed non Capitulum Cathedralis Eccleſiæ ſede vacante: quia eſt iuriſdictionis Epiſcopalis. Poteſt etiam ille dare indulgentias, qui in hoc habet à Summo Pontifice plenitudinem poteſtatis; vt ſummus Pœnitentiarius, qui dat centum dies. Legatus poteſt dare in ſua Prouincia indulgentias perennes. Archiepiſcopus, poteſt dare indulgentias per totam prouinciam, niſi ſit præciſus, qui ſubditos non habeat, ſaltem quò ad vſum iuriſdictionis. Epiſcopus, & ſuperiores quadraginta dies cõmuniter. In dedicatione autem baſilicę vnum annum, ſiue ſit vnus, ſiue plures. Pro anniuerſario, non niſi quadraginta dies. Abbas autem non poteſt dare indulgentias: nec quicunque inferiores Epiſcopis. De ea re, vide Ioann. Gerſonem, Cancellarium Pariſieñ.

parte

parte prima de poteſtate eccleſiaſtica, Quis poſſit dare indulgentias Poteſt autem dare indulgentias (vt habet Paluden. lib. 4. Diſtin. 20.) tam bonus quàm malus: vnde Richardus lib. 4. Diſtinct. 20. Artic. 5. Quæſt. 1. ait: *Malus Epiſcopus poteſt indulgentias dare: quia non facit indulgentias de proprio merito, quo priuatur per mortale peccatum; ſed de theſauro eccleſiæ, cuius peccatum non abſtulit ſibi diſpenſationem: ſi autem non concordat diuinæ intentioni ſua diſpenſatio, nulla eſt: vnde nec bonus nec malus indulgentias concedere poteſt, niſi ex rationabili cauſa.* Hęc Richardus. Hinc Gerſon, Tractatu de indulgentiis ait: *Concedentes indulgentias taliter, & in intentione, & in verbis, & in ſcriptis, ſuas conceſſiones moderentur; vt nec diuinæ iuſtitiæ cum miſericordia derogetur, nec ſcandalum maximè puſillorum præbeatur: vel ne facilis conceſſio maioris indulgentiæ, pro minimis vel exiguis cauſis, pariat in arduis & legittimis pro Eccleſia & Republica negotijs detrimentum.* Hæc Gerſon. Idem Gerſon parte ſecunda de forma abſolutionis confeſsionis ſacramentalis ſcribit, quòd poteſtas prælatorum in dando indulgentias, non eſt, niſi quædam poteſtas diſpenſationis, quæ debet eſſe rationalis, & ad ædificationem. Et ideo, ſi dent ſine cauſa rationabili has vel illas indulgentias, vt puta, pro ſolo intuitu fauoris humani, vel alio tali modo; non oportet quòd indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant: quia dicit S. Bonauentura: *Non enim credendum eſt alicuius valoris, ſi quis daret eam euntibus videre torneamēta.* De quo latius Gerſon. *Vnde Indulgentiæ,* vt ſcribit S. Thomas ſuper 4. Diſt. 20. & Richardus Diſt. eadem, Articu. 3. Quæſt. 1. *ſi dantur ab eo, qui poteſt eas dare, & propter rationabilem cauſam, ſcilicet, pro vtilitate Eccleſiæ, valent his, qui ſunt in ſtatu gratiæ, dum tamen faciunt id, quod continetur in forma indulgentiæ: per eas enim remittitur, vel tota pœna peccatis debita, vel eius portio, ſecundùm tenorem ipſarum:*

CAVSA MINISTERIALIS SVBDELEGATA infima, eſt ſacerdos cōfeſſarius, qui habet authoritatem & commiſsionem à loci ordinario abſoluendi in talibus & talibus caſibus: iuxta illud Leuitici cap. 16. *Expiabit autem ſacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius manus initiatæ ſunt, vt ſacerdotio fungatur pro Patre ſuo.*

CAVSA FINALIS INDVLGENTIARVM, eſt gloria, laus, & honor Dei, & communis vtilitas Eccleſiæ, ciuitatis, & Reipub. iuxta illud Prouer. ca. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dñus.* Hoc idē dicit D. Tho. Aquinas ſuper 4. Diſt. 20. Porrò, ne lectorem oneremus de vtilitate & fructu indulgentiarum, lege Iſaiæ cap. 58. Ezech. cap. 36. & 37. Item Ioël. ca. 2. ad Hebr. cap. 8. Hęc de cauſis Indulgentiarū. Sed cauſis in ſacramentis & indulgentijs nō propriè vtimur, ſed metaphoricè, vt dicit Gabriel ſuper 4. Diſt. 3. Quęſt. 1.

NOTABILE QVINTVM.

EXpoſitis cauſis Indulgentiarum,& motu; ſequitur,vt de infinito, de loco, & tempore Indulgentiarum dicamus.

Caput I.

De Infinito, hoc est, qvia thesavrvs Indvlgentiarvm est infinitvs.

ET quia infinita ſunt merita Chriſti: ergo & cæleſtis theſaurus indulgentiarum eſt infinitus. Conseqventia à cauſa ad effectum. Antecedens probatur authoritate Clementis Sexti in Extrauagante, *Vnigenitus Dei filius*,vbi docet, & determinat meritum Chriſti eſſe infinitum, & adducit illum locum Sapient. cap. 7. *Infinitus eſt theſaurus,quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Vnde colligit vnam guttam ſanguinis Domini, ſatis abundè ſatis fuiſſe pro redimendis hominibus. Vt autem hæc veritas illuſtrior fiat, ſciendum eſt meritum Chriſti ex multis cauſis eſſe expendendum.

Primùm extenſiuè,& quod aiunt Theologi ex ſufficientia: cùm enim ſufficiat prodeſſe hominibus infinitis ſi fierent; ideò habet ſufficientiam infinitam. Quod vt intelligas rectè,præ oculis habere oportet illud ſimile, quod proſequitur B. Paulus Apoſtolus ad Rom. cap. 5. inquiens, quòd Adam eſt forma futuri,ſcilicet Chriſti: nam etiamſi decies centena millia hominum naſcerentur,ſuprà eos qui vnquam naſcituri ſunt;ſemper omnibus ſufficeret ad damnationem vnum pec catum Adæ: tamen hoc non operatur effectiuè, niſi in illis qui generantur actu ex viſceribus Adę:nec diutius operatur in ipſis, quàm manet in Adam. Eodem modo,etſi centies centena millia hominum naſcerentur vltrà eos qui fuerunt, vel vnquam erunt; ſufficeret tamen omnibus ſaluandis vnum vnius paſsionis Chriſti meritum: quia eſt infinitum. infinitum verò, neque vſu finiri poteſt, neque ablatione: verùm effectiuè non operatur ſalutem niſi in illis, qui amplectuntur Chriſtum per fidem, quæ per charitatem operatur:meritum enim, & indulgentia Chriſti Domini, eſt immenſus & infinitus theſaurus quæſitus, inuentus, relictus, & in Eccleſia Catholica depoſitus, & conſeruatus,propter vtilitatem omnium naſcentium in mundo.ſed ſi non quæritur ab homine theſaurus hic abſconditus in agro paſsionis Domini: ſi non emitur, ſi non accipitur; non applicatur, non prodeſt.

Præte-

Præterea,meritum Chriſti alia de cauſa dicitur infinitum: quia potens eſt nos liberare à ſupplicijs inferni, quæ ſunt infinita ex duratione: & poteſt nos perducere ad gloriam ſanctorum,quę etiam eſt infinita, obiectiuè, & duratione: ob quam cauſam meritum Chriſti habet quādam infinitatem. Alia cauſa huius Catholicę veritatis demonſtrari poteſt: nam Chriſtus Dominus meruit indulgentiam, & remiſſionem infinitæ culpæ; ſi eſſet infinita cathegoreumaticè: meruitq; remiſſionem infinitorum hominum infinitæ pœnæ, & infinitorum peccatorum: quoniam obtulit ſe in hoſtiam & ſacrificium, quod eſt infiniti valoris,& maioris pretij, quàm infinitorum hominum, imò infinitorum mundorum peccata.

Poteſt etiam dici Chriſti meritum infinitum: quia actus perſonæ infinitę,ſiquidem omnia opera Chriſti fuerunt verbi,tanquam ſuppoſiti, quod fuit infinitum: licèt illa opera humanitatis Chriſti non fuerunt verbi,ſecundùm naturam infinitam diuinam; ſed ſecundùm naturam humanam finitam.

Ampliùs, ſicut meritum Chriſti fuit infinitum ratione vnionis hypoſtaticæ; ſic potuit habere præmium infinitum,& theſaurum indulgentiarum infinitum, ratione vnionis hypoſtaticæ: nam maius eſt, quòd Deus patiatur vel minimum cruciatum,quàm quòd omnes homines omnium ſeculorum, infinitos cruciatus patiantur. Ex dictis ſequitur, quòd Chriſtus non plus meruit, quàm Deus poſſit præmiare: nam Chriſtus meruit tantum infinitum præmium ſyncathegoreumaticè; & Pater æternus poteſt conferre infinitum præmium ſyncathegoreumaticè.

Poſtremò oſtenditur meritum Chriſti fuiſſe infinitum: quia meruit coram Patre æterno de toto rigore iuſtitiæ: hic autem modus meriti infinitam vim & efficaciam requirit, quemadmodum in creatione, licèt id quod creetur finitum ſit; modus tamen faciendi ex nihilo requirit infinitam virtutem, ob idq; virtus creandi ſoli Deo propriè competit.

In hoc itaq; merito Chriſti, omnia omnium hominum merita fundantur: tum quia fundamentum aliud ponere nemo poteſt, quàm quod eſt poſitum Chriſtus Ieſus 1. Corinth. 3. tum quia Chriſtus Dominus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites Ioan. 15. perpetuò in ſuos virtutem influit, iuxta illud Prophetæ Pſalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.*

Porrò, in his meritis Chriſti & ſanctorũ, tanquam in petra firmiſſima fun-

ma fundantur Eccleſiæ Catholicæ indulgentiæ: & ſicut merita Chriſti & Sanctorum ſunt infinita, & indiuiſibilia; ita indulgentiæ ſunt infinitæ, & indiuiſibiles contra phyſicos: ergo hæretici & alij deſperati, qui diffidunt, & ſuam nequitiam (inquit Auguſtinus de vera & falſa pœnitentia cap. 5.) Dei pietati comparant, finem imponunt diuinæ virtuti: dant finem infinito, & perfectionem diuinitatis auferunt Deo, cui nihil deeſt, quod etiam cogitari non poteſt.

Caput II.

De loco Indvlgentiarvm, qvia solet Devs eligere, et reservare sibi qvaedam loca.

ITA quidem eſt, quòd vbique Deus eſt (imò Deum, cæli cælorum capere non poſſunt) verùmtamen non vbique æqualiter operatur: *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Sed in ſcripturis tamen legimus, quòd certa loca ſuis operationibus delegerit: exauditioni, templum Hieroſolymitanum: arcam, miraculis & benedictionibus: probaticam piſcinam, ægrotorum ſolatio. Templum quidem ea dignatus eſt gratia, & honore; vt ſi quis etiam exul ad illud verſa facie oraret, exaudiretur: quod priuilegium nulli alii loco conceſſum eſt legimus. Arcæ porrò tantam virtutem eſſe voluit; vt ea præſente funderentur hoſtes, Hiericho corrueret, Iordanis retrorſum conuerteretur, Ioſuę 4. 5. & 6. & domus Obed-Edom conſequeretur benedictionem.

Piſcinæ verò probaticæ prærogatiuam hanc fuiſſe, nobis Euangelium Ioannis cap. 5. indicat; vt qui primus in eam deſcendiſſet, quocunque tandem affectus eſſet morbo, ſtatim ab eo liberatus diſcederet. Nunquid parem vim ad ſanandum allæ quoque vulgares aquæ habuerunt? Sic Deus, cuius miſericordia pleni ſunt cæli, plena eſt terra: qui cum Ioſepho deſcendit in carcerem, & in vinculis non dereliquit eum: qui fuit cum Daniele, cùm miſſus fuiſſet in lacum leonum: & cum tribus pueris, cùm fuiſſent miſsi in fornacem ignis ardentis, & qui nullo circumſcribitur loco: certa tamen loca eſſe voluit, in quibus manifeſtiùs virtutem ſuam declararet. In templo Deus olim reſponſa dabat, in templis angelos videre licuit, Lucæ cap. 1. quos inibi etiam habitare, vel illud nobis eſſe documento poteſt; quod à Ioſepho memoriæ proditum eſt, cùm iam iam Hieroſolymitanum excidium inſtaret, angelos in templo auditos eſſe, qui dicerent: *Recedamus ex iis ædibus.* Ita Geneſis cap. 28. cùm Iacob euigilaſſet de ſom-

de ſomno, ait: *verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Et Exod. cap. 3. dicit Dominus ad Moyſen: *Solue calciamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.*

Item, Exodi 40. *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini impleuit illud.*

Item, Deuteronomii cap. 12. 14. 15. 16. 17. 18. præceptum eſt: *Ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter, de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras, decimas, & primitias manuum veſtrarum, & vota atq; donaria, primogenita boum, & ouium: & comedetis ibi, in conſpectu Domini Dei veſtri, ac lætabimini in cunctis ad quæ miſeritis manum vos, & domus veſtræ, in quibus benedixit nobis Dominus Deus veſter. Non facietis ibi, quæ nos hîc facimus hodie ſinguli quod ſibi rectum videtur.*

Item, ibidem, *Caue ne offeras holocauſta tua, in omni loco, quem videris; ſed in eo quem elegerit Dominus: in vna tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quodcunq; præcipio tibi.*

Item, 3. Regum cap. 11. dixit Dominus Salomoni: *Quia hoc habuiſti apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum; & dabo illud ſeruo tuo. Verùmtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud. Nec totum regnum auferam: ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi.*

Item, ibidem, *Ieruſalem ciuitatem elegi ex omnibus tribubus Iſraël.*

Item, ibidem, *Ieruſalem ciuitatem elegi, vt eſſet nomen meum ibi.*

Item, 4. Regum 21. *In Ieruſalem ponam nomen meum.*

Item, 3. Regum cap. 8. & 9. Et 2. Paralipomenon cap. 6. & 7. 12. & 33. *Factum eſt autem, cùm exiſſent ſacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum domini: & non poterant ſacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini, domum domini.*

Sed hæc, dicet aliquis, Veteris Teſtamenti fuiſſe, nec ad Nouum pertinere quidquam, in quo Samaritanæ Ioan. 4. diſertis verbis dictum legimus: *Mulier, crede mihi, veniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Atqui ille ipſe, qui hæc dixit, noui teſtamenti mediator, legiſlator, & auctor, templo, tantum honoris habuit Math. 21. Ioan. 2. vt cùm eiiceret ex eo vendentes & ementes, domum illud ſui patris vocauerit. Nunquid non totus mundus domus eſt illius, qui dixit: *Cælum & terram ego impleo?* Hier. 32. Et Iſaiæ 66. *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum?* & tamẽ domum patris ſui peculiari modo quoddam templum Chriſtus

appellauit. Quin & in ipſis templis, arcano quodam, & inperſcrutabili Dei iudicio fieri videmus, hoc ipſo gratiæ tempore; vt terribiliora in vno ſint, quàm in alio Dei opera: vt in Italia, Romæ, & in Loreto: in Hiſpania, in Campoſtella: in Polonia, Cracouiæ, Gneſnę, Częſtochouiæ, & in Claro monte, in templo S. Crucis. Sic ab Auguſtino Epiſtola 137. factum legimus, cùm quidam ex eius ſodalitio iuuenis, graue quoddam presbytero crimen intentaſſet: nec res euidentibus argumentis, aut reffelli poſſet, aut coargui: quòd iuſſerit ambos ad locum ſanctum (iis enim verbis vtitur) peregrinari, nimirum eum, vbi beati Felicis Nolenſis corpus conditum erat; vt ibi ad confeſsionē vel pœnæ miraculo, vel timore compellerētur. Ac mox ea verba ſubiicit Auguſtinus: *Vbiq; quidem Deus eſt, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia: & cum à veris adoratoribus in Spiritu, & veritate oportet adorare; vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet, & coronet: verùmtamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in aliis locis, hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt. etc.* Ac paucis interiectis, mentione facta de miraculis, quæ Mediolani fierent, apud memoriam Sanctorum, *Nunquid*, inquit, *nō et Affrica ſanctorum Martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim, quod Apoſtolus dicit*, 1. Corint. 12. *non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent diudicationem ſpirituum; ita nec in omnibus memoriis ſanctorum iſta fieri voluit, qui diuidit vnicuiq; propria, prout vult.* Quare minimè nouum, ac iam indè à multis ſeculis in orbe Chriſtiano receptū eſt, quòd propter admirabiliores Dei operationes, vnus locus alio ſanctior habitus, & à piis hominibus magis eſt frequentatus. Qui ſcripſerunt Eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebius, Socrates, Zozomenus, Theodoretus, & alii ante mille ducentos, quin & ante mille trecentos, & amplius annos, & Hieroſolymam, & ad martyrum ſepulchra, religionis ergò, peregrinationes etiam ex voto ſuſceptas eſſe memoriæ prodiderunt. Quas adeò non contemnendas putauit D. Ioannes Chryſoſtomus; vt diceret Homel. 5. de beato Iob, cùm in vinculorum, quibus ligatus erat Paulus, laudem erupiſſet: *Vellem nunc locis in illis verſari, quibus vincula illa manent: & cathenas videre, quas timuerunt quidem dæmones, & horrent, & angeli venerantur. Si eccleſiaſticis curis eſſem vacuus, & corpus robuſtum haberem, nequaquam peregrinationem tantam facere recuſarem, quò cathenas ſaltem viderem, & carcerem, quo Paulus vinctus eſt.*

De Chriſtianorum templis, ſiue Baſilicis refert Auguſtinus lib. 1. de

ciuitate

ciuitate Dei,& in eccleſiaſtica quoque hiſtoria ſcriptum legimus. Zozomenus lib. 9. cap. 9. quòd etiam ab immanibus barbaris, tantus olim illis honor habitus fuerit; vt quisquis ad ea confugiſſet, is ab hoſtium inſultu liber eſſet, Hæc de templis.

LEGITVR QVOQVE DE AQVIS aliquid ſimile, 4. Regum cap. 5. Fluuii Damaſci Abana & Pharphar, non potuerunt Naaman curare, & ſanare à lepra; ſed aquæ Iſraël, aquæ Iordanis. Nam conſilio Elizęi lotus Naaman ſepties in Iordane, à lepra mundatus eſt, & recepit ſanitatem caro eius. Item, Ioan. cap. 5. *Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicæ Bethſayda, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & mouebatur aqua: Et qui primò deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunq; detinebatur infirmitate.*

Caput III.

DE VACVO,

EX ſupràdictis, manifeſtum eſt, quia gratia Dei in Eccleſia Catholica ſunt indulgentiæ: ſed apud Iudæos, Gentiles, Hæreticos, eſt vacuum, iuxta illud, Prouerb. 14. *Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt: vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.* D. HIERONYMVS ſuper iiſdem verbis: *Boues, Doctores Catholicos: Præſepe cœtum auditorum: Segetes, dicit fructus bonorum operum. Incaſſum ergo tumet ſuperbus, & indocta eloquentia verberat aures, ac corda ſubiectorum: quia vbi non ſunt docti prædicatores, fruſtra ad audiendum confluit turba plebium: vbi autem plurimæ operationes apparent virtutum, ibi appertiſſimè claret, quia non hæreticus aut Iudæus in vanum garrit; ſed pro verbi fruge laborauit ille, qui & ipſum verbū caſto ore ruminare, & viam veritatis recto diſcretionis pede noſcet incedere. Nec mirandum, cur in Præſepi auditores ſignificari diximus; cùm bos alatur de præſepi, doctor autem verbo audientes ſoleat nutrire: Sed intuendum, quia & de labore bouis præſepe impletur, & ipſe bos ſuo fructu de præſepi reficitur. Quia nimirum prædicator fidelis, & audientes verbo reficit, & eadem refectione apud Deum ipſe proficit: quod in opere figuratur* 3. Reg. 17. *Eliæ, qui Sareptanam viduam paſcit, à qua et ipſe paſcitur.* Hæc D. Hiero.

DIONYSIVS Carthuſianus ſuper iiſdem verbis. *Spiritualiter autem per boues deſignantur Prædicatores, Doctores, Prælati, ſicut primo ad*

Corint. cap. 9. & Deuter. 25. docet Apoſtolus illud ex Deuteronomio introducens: Non alligabis os boui trituranti: Hi enim in agro Dei, id eſt, in Eccleſia laborant, fidelium corda verbo prædicationis aperiendo, adſuſcipiendum ſemen gratiæ Spiritus ſancti, quod inſerunt eis, & ea cooperando fœcundant: vnde 1. ad Corint. cap. 3. dicit Paul. *Adiutores Dei ſumus, vos Dei agricultura eſtis. Itaq; vbi non ſunt boues, id eſt, boni prælati, ac prædicatores; præſepe vacuum eſt, id eſt, corda populi: gratia virtutibus atq; indulgentiis carent, quia magiſtrum et ducem non habent. Vbi autem plurimæ ſegetes, id eſt, abundantia actuum virtuoſorum, digni fructus pœnitentiæ: vbi indulgentiæ, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis, id eſt, efficacia doctrinæ prælati, ſicut prædicatoris, euidenter relucet in huiusmodi fructu, tanquam in ſuo effectu.*

Et quoniam Eccleſiæ ager ſepiſsimè renouatur pœnitentiæ indulgentiarum & prædicationis, remiſsionis peccatorum, aratro fructus Deo adiuuante facere & producere nunquam ceſſat: apud Iudæos autem nihil, niſi vacuum: eſt ergo in natura vacuum, quia apud Iudæos, gentiles, & Hæreticos.

Caput IIII.

De tempore Indulgentiarum,

AD conceſsionem indulgentiarum, cùm loco prædictis cauſis, neceſſariò requiritur tempus, quia omnis motus fit in tempore. Et quamùis teſte D. Ambroſio in libro de Helia, & ieiunio cap. 22. Omne tempus ſit opportunum ad indulgentiam, iuxta illud Ezechiel. cap. 18. *Quacunq; bora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius nõ recordabor*: tamen ipſemet Deus adhuc in veteri Teſtamento, in quo Chriſtianorum futura feſta præſignata, & futuræ in Eccleſia Catholica indulgentiæ figuris adumbratæ fuerant, aliqua tempora, tam ad ſanctificanda feſta, quàm indulgentias celebrandas ſpecialiter elegit, deputauit, deſignauit, præſcripſit & oſtendit. Ita enim Exodi. 20. Deuter. cap. 5. ſcriptum eſt: *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices: ſex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. ſeptimo autem die Sabbathū domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis ſunt, et requieuit die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, et ſanctificauit eum. Nunquid Deo cura de Sabbatho? Non homo propter Sabbathum: ſed Sabbathum propter hominem factum.* Marci cap. 2.

Sancti-

Sanctificauit ergo Dominus Sabbathum, & benedixit Sabbatho: vt homo quærat, petat, pulſet, oret ad Deum, pro benedictione, & pro indulgentia in Sabbatho, & ſic ſanctificabit Sabbathum, & dies indulgentiarum. Idem præceptum de Neomenijs Pſalm. 80. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtræ.*

Idem præceptum de ſeptimo menſe, Leuitici cap. 16. *Menſe autem ſeptimo decima die menſis, affligetis animas veſtras, nullumq́; opus facietis, ſiue indigena, ſiue aduena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit veſtri, atq; mundatio. Ab omnibus peccatis veſtris coram Domino mundabimini; Sabbathum enim requietionis eſt: & affligetis animas veſtras religione perpetua. Expiabit autem ſacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius manus initiatæ ſunt, vt ſacerdotio fungantur pro patre ſuo. Inducturq́; ſtola linea, & veſtibus ſanctis, & expiabit ſanctuarium, & tabernaculum teſtimonij atque altare, ſacerdotes quoque & vniuerſum populum. Eritq́; hoc vobis legittimum ſempiternum, vt oretis pro filijs Iſraël, & pro cunctis peccatis eorum ſemel in anno. Fecit igitur, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* Idem præceptum Leuitici 23. *In diebus illis, loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Decimo die huius menſis ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetisq́; animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. Omne opus ſeruile non facietis in tempore dici huius, quia dies propitiationis eſt; vt propitietur vobis Dominus Deus veſter. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis, & operis quippiam fecerit, delebo eam de populo ſuo. Nihil ergo operis facietis in eo, legittimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris. Sabbathum requietionis eſt, affligetisq́; animas veſtras die nono menſis, à veſpera vſque ad veſperum celebrabitis Sabbatha veſtra, dicit Dominus Omnipotens.* Idem præceptum de anno ſeptimo, & de anno quinquageſimo Leuitici cap. 25. *Loquutusq́; eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai, dicens: Loquere filijs Iſraël, & dices ad eos. Quando ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, ſabbathizetis ſabbathum Domino, ſex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligesq́; fructus eius: ſeptimo autem anno ſabbathum erit terræ requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis, quæ ſponte gignet humus, non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam; annus enim requietionis terræ eſt; ſed erunt vobis in cibum tibi & ſeruo tuo, ancillæ tuæ, & mercenario tuo, et aduenæ, qui peregrinatur apud te: iumentis tuis & pecoribus omnia quæ naſcuntur præbebunt cibum. Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta nouem, & clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra, ſanctificabisq́; annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem*

cunctis habitatoribus terræ tuæ ; ipſe eſt enim Iubileus. Reuertetur homo ad poſſeſsionem ſuam, & vnuſquiſque rediet ad familiam priſtinam : quia iubileus & quinquageſimus annus. Non ſeretis, atque metetis ſponte in agro naſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis ob ſanctificationem iubilei, ſed ſtatim ablata comedetis. Anno iubilei redient omnes ad poſſeſsiones ſuas. &c. Nolite affligere contribules veſtros; ſed timeat vnuſquiſque Deum ſuum : quia ego Dominus Deus veſter. Facite præcepta mea, & iudicia mea cuſtodite, & implete ea, vt habitare poſsitis in terra abſque vllo pauore, & gignat vobis humus fructus ſuos quibus veſcimini, vſque ad ſaturitatem nullius impetum formidantes. Quòd ſi dixeritis, quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum, ſeretisq; anno octauo, & comedetis veteres fruges vſque ad nonum annum, donec noua naſcantur edetis vetera.

Et ſecundùm hoc præceptum Domini, ſancta mater Eccleſia Catholica, quolibet anno quinquageſimo, ſolebat celebrare vniuerſaliter annum ſanctum Iubileum magnum, ſolenni ritu, vſque ad annum Domini milleſimum, quadringenteſimum, ſeptuageſimum quintum, quò Pontifex Romanus Sixtus Quartus Iubileum tenuit, ſimulq; conſtituit, vt iam nõ quinquageſimo Iubileus annus celebretur; ſed ab annis viginti quinque, vſq; ad vigeſimum quintum rurſus ſeruari debere, eò quòd ætas hominũ cum decreſcentis mundi tempore ſemper abbreuiatur. Ioan. Eccius Homel. 1. die Pentecoſtes.

Neque illud omittendum, quia anno Domini 1571. primis diebus Octobris, cùm Veneti in Cypro, ſiue Candia, obſiderentur à Turca, & bellum haberent cum Turca, Romanus Pontifex Pius Quintus indulgentiam quadraginta horarum Romæ inſtituit, indixit, celebrauit : & Eccleſia orante, & Deo Opt. Max. adiuuante, Veneti ex Turcis ad Echinnadas die ſeptima Octobris victoriam reportauerunt. Sed ad tempus Iubilei gratiæ, & indulgentiarum redeamus. Sciuit hæc præcepta Dei & ſeruauit Iſaias Propheta : ſciuit & ſeruauit Paulus Apoſtolus, & propterea ambo, quaſi vno ſpiritu & ore docent : Iſaiæ 49. & Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 6. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim, Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium veſtrum. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in loganimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ſi-*

non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti, quaſi morientes & ecce viuimus, vt caſtigati, & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes.

NOTABILE SEXTVM.

POſtquam diximus de cauſis, de motu, de infinito, de loco, & vacuo, ac de tempore indulgentiarum; ſequitur vt dicamus de votis, peregrinationibus, & offertorijs quæ offeruntur in Dei nomine pro gratia indulgentiarum.

Caput I.

DE VOTIS QVAE NVNCVPANTVR SANCTIS.

ERaſmus in Colloquio, quod inſcribitur Naufragium, miro modo ridet Vota, quæ ſanctis nuncupantur. De hæreticis autem omnibus, nulla poteſt eſſe dubitatio, quin nos pro idololatris habeant ob ea vota, quæ paſsim ſanctis nuncupamus: & ratio eſſe poteſt: quia votum eſt actus religionis ſoli Deo debitus, qualis eſt etiam iuramentum, & ſacrificium, vt patet ex diuinis literis, vbi perpetuò vota dicuntur fieri Deo, vt Leuitici cap. 6. & 27. Numero. 30. Deutero. 23. in Pſalmis paſsim, & præcipuè Iſaiæ 19. vbi legimus, *Colent eum in hoſtijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* Verùmtamen poſſe aliquo modo ſanctis vota nuncupari, certiſsimum eſt, & probatur teſtimonijs antiquorum Patrum.

EVSEBIVS lib. 13. Præparat. Euangelicæ cap. 7. loquens de martyribus, nomine omnium Chriſtianorum: *Nos*, inquit, *veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta illorũ accedimus, votaq́; illis facimus, tanquam viris ſanctis, quorum interceſsione ad Deum non parum iuuari profitemur.*

THEODORETVS lib. 8. ad Græcos, vbi dixerat varia à martyribus peti, ſubdidit: *Piè*, inquit, *fideliterq́; precatos, ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorũ rei perſoluunt: nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij manuum ſimulachra ſuſpendunt, ex argento, auróue confecta. &c.* 1. Regum 6.

PALLADIVS in hiſtoria Lauſiaca ca. 113. ſcribit ſanctũ Philoronum, ex voto Apoſtolis nuncupato, veniſſe Romam ad limina Apoſtolorum, & dein-

& deinde Alexandriam ad S. Marcum.

PRVDENTIVS in hymno de SS. Hemeterio & Chelidonio.

Illitas cruore ſancto,
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obſeruantes
Voce, votis munere.

PAVLINVS natali primo de ſancto Felice.

Hunc liceat celebrare diem: pia reddere vota. Coram etc.

Et natali ſecundo. *Coram vota tibi: coram mea corda dicauit.*

Et natali quarto. *Annua vota mihi remeant, ſimul annua linguæ*
Debita. &c.

MATHIAS MIECHOVIEN. lib. 2. hiſtoriæ Polonorum cap. 4. Et Martinus Cromerus lib. 3. in vita Boleſlai Chrobrij Primi Polonorum Regis, narrant Anno Domini 999. Ottonem Ruffum tertium, eius nominis Imperatorem Romanum, cùm ægrotaret, vouiſſe votum limina ſancti Adalberti martyris Gneſnæ viſitare: cùm autem ſanus factus eſſet, in Poloniam venit, & à Poſnania vſque Gneſnam, hoc eſt ſeptem milliarium ſpatium, non aliter quàm pedes confecit.

GREGORIVS TVRONICVS lib. 2. hiſtoriæ Francorum cap. 37. meminit voti, quod nomine Clodouei Regis ſancto Martino fecerunt miniſtri eius: *Domino*, inquit, *gratias agentes, & vota B. confeſſori promittentes, læti nunciauerunt Regi. etc.*

ACCEDAT aduerſariorum teſtimonium: nam Fauſtus apud D. Auguſtinum lib. 20. contra Fauſtum cap. 3. *Idola*, inquit, *vertiſtis in martyres, quos votis ſimilibus colitis.* Ex quo Fauſti teſtimonio diſcimus, vſitatiſsimum in primitiua Eccleſia fuiſſe, vt martyribus vota fierent.

Iam habemus teſtimonia, non ſolùm ſanctorum Patrum Eccleſiæ Catholicæ, ſed etiam hæreticorum, quia licet ſanctis nuncupare vota. Sed hoc ipſum poteſt rationibus confirmari.

PRIMA RATIO. Capiti cum membris, licet nuncupare vota. ſed Chriſti capitis ſancti ſunt membra: Ergo ſanctis licet nuncupare vota.

MAIOR vera: quia non licet diuidere & ſoluere Chriſtum, qui eſt caput: nam qui ſoluit Chriſtum, antichriſtus eſt. 1. Ioan. cap. 4.

MINOR eſt Apoſtoli ad Epheſ. cap. 4. & 5. & ad Coloſ. cap. 1. & 2.

SECVNDA RATIO. Amicis Dei, quos Deus honorat, licet nuncupare vota. ſed ſancti ſunt amici Dei, quos Deus honorat: ergo ſanctis licet nuncupare vota.

MAIOR

MAIOR vera ab authoritate & meritis.

MINOR Pſalm. 138. & Ioan. 15.

TERTIA RATIO. Patribus, qui cũ Chriſto colligunt, & theſaurizant filijs, licet nuncupare vota. ſed patres ſancti cũ Chriſto colligunt, & theſaurizant filijs: ergo licet ſanctis vota nũcupare.

MAIOR vera ab authoritate & meritis.

MINOR Lucæ 11. & 2. ad Corint. 12. *Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs.*

QVARTA RATIO, Quorum animæ in manu Dei ſunt, & memoria æterna in benedictionibus; illis licet vota nuncupare. ſed ſanctorum animæ in manu Dei ſunt, & memoria æterna in benedictionibus: ergo ſanctis licet vota nuncupare.

MAIOR à ſumma felicitate Sanctorum, apud quos miſeris licet mendicare. MINOR Sap. cap. 3. Item, Pſalm. 111. & Eccleſ. 45.

QVINTA RATIO. Quorũ memoria in populis placatur Deus, illis licet vota nuncupare. ſed memoria ſanctorum in populis placatur Deus: ergo licet ſanctis vota nuncupare.

MAIOR ab efficientibus, vel à ſigno.

MINOR Eccleſiaſtici cap. 45. *Deus Moyſen* (& per conſequens ſanctos) *elegit ab omni viuente offerre ſacrificium Deo, incenſum & bonum odorem, in memoriam placare pro populo ſuo.*

Poſſunt plurima argumenta ad eam rem produci, & ſcripturis ſacris confirmari. ſed ea breuitatis cauſa omitto.

AD ARGVMENTVM AVTEM, quòd nos ipſi initio capitis propoſuimus, reſpondet B. Thomas, in ſecunda ſecundę Quęſt. 88. Arti. 4. *Vota quæ fiunt ſanctis, vel prælatis, includere duas promiſsiones: vnam quæ fit ſanctis, et illam non eſſe formaliter votum, ſed materiam voti: alteram quæ fit Deo, et illam eſſe formaliter votum, vt cùm quis dicit:* VOVEO B. MARIAE, ME AD EIVS DOMVM PEREGRINATVRVM: *promittit virgini hanc peregrinationem: ſed hæc promiſsio non eſt votum. et ſimul promittit Deo, ſe impleturum promiſsionem virgini factam: et hæc ſecunda promiſsio verè eſt votum. At iſta rectè ſe habent in votis, quæ includunt promiſsionem homini mortali factam. Nam qui vouet obedientiam Prælato; reuem votum non Prælato, ſed Deo facit, licèt ipſi Prælato obedientiam promittat: non enim illo voto Prælatum, ſed Deum colere et honorare intendit. Similiter, qui vouet perpetuò miniſtrare in Xenodochio, vel Ptochodochio, tametſi in vtili-*

tatem et commodum Xenodochij, vel Ptochodochij faciat. At qui vouet ieiunium, vel peregrinationē ſanctā; ipſos ſanctos religioſè honorare intendit. Et præterea, Caietanus in eum articulū B. Thomę probat ex ipſa profeſsione Fratrum Prædicatorum, vota verè fieri ſanctis. nam dum profitentur, dicunt: *Voueo Deo, et B. Mariæ, et omnibus ſanctis, me Prælato tali, vel tali obediturum.* Vbi ex duabus promiſsionibus vna dirigitur ad Prælatum, & illa eſt materia voti: altera ad Deum & ſanctos ſimul, & illa eſt formaliter votum. Caietanus igitur adfert aliam ſolutionem, ac dicit, Vota fieri ſanctis, non vt ſunt creaturæ quædam rationis participes; ſed vt in eis Deus habitat per gloriam: ita & vota, quę fieri dicuntur ſanctis, fiunt Deo in ſanctis, quomodo maledicta in ſanctos dicuntur blaſphemiæ; quia Deus in ſanctis maledicitur.

SED OBIICIET FORTASIS ALIQVIS, aut vota quæ fiunt Deo in ſanctis, terminantur ad ſolum Deum, quo modo ſacrificium ſoli Deo offertur, licèt in memoriam & honorem ſanctorum. aut terminantur etiam ad ipſos ſanctos; ita vt reuera ipſis vota fiant: quomodo eleemoſyna, quæ datur Chriſto in paupere, verè datur ipſi pauperi. Si primum accipiatur: ergo non verè vota fiunt ſanctis. Si ſecundum: ergo idololatræ videmur.

Reſpondeo: Secūdo modo fieri vota ſanctis, nec tamen nos eſſe idololatras: nam nō eadem ratione fit votum ſanctis, & Deo. & ſolum votum, quod fit Deo, eſt cultus latriæ. Animaduertendum eſt enim inter omnes conuenire verè & propriè ſanctis aliquid promitti, ſicut verè & propriè promittitur Deo. Id enim B. Thomas concedit, & per ſe patet: nam ſi licet ſanctis ædificare ſepulchra & baſilicas, ornare eorum reliquias, accendere coram eis cereos, & ſimilia; cur non liceat eis iſta promittere? Rurſum inter omnes Catholicos conuenit, aliter promitti munus Deo, aliter ſanctis. Nam Deo promittitur in ſignum gratitudinis erga primum principium bonorum omnium, & in recognitionem beneficij ab ipſo tanquam à primo authore accepti: & proinde illa promiſsio eſt cultus latriæ. At ſanctis promittitur aliquid in ſignum gratitudinis, erga mediatores & interceſſores, per quos à Deo beneficia accipimus: & proinde illa promiſsio, non eſt cultus latriæ, ſed duliæ.

Solum videtur dubium eſſe, an iſta promiſsio facta ſanctis poſsit dici Votum, id eſt, An Votum ſit nomen generale, quod dicitur analogicè, de promiſsione facta Deo, & ſanctis: quomodo nomē orationis, & nomē cultus ſe habēs: an verò ſit nomen ſpeciale, quod ſolum dicitur de promiſsione Deo facta, ſicut ſacrificium nō dicitur, niſi de munere, quod offertur Deo. Etſi autem controuerſia vocabuli, cùm de re conſtat, nos torquere non debeat; exiſtimo tamen ſecundùm

vſum eccleſiæ, nomen voti eſſe generale: nam nullus auderet dicere, Sacrifico Deo,& B. Marię:vel etiam abſolutè,Sacrifico B. Marię:& tamē dicimus:VoueoDeo & B.Marię:& etiā ſimpliciter,Voueo B.Marię.

Præterea,nomen Voti, ita eſt coniunctum cum nomine orationis; vt Gręcè dicatur votum εὐχὴ, oratio verò προσευχὴ, vt notat Gregorius Nyſſenus oratione prima in orationem Dominicam. Latine autem ſæpiſsimè accipitur votum pro oratione. Et ratio eſt: quia,vt ibidem docet Nyſſenus,vota ordinantur ad orationem. Solemus enim, cùm impetrare aliquid volumus, prius votis conciliare eum, à quo volumus petere: deinde petere id, quod volumus. Vnde eſt illud Æneid. 6. *Æneas ceßas in vota precesq́;?* Sicut ergo orationis nomen,non ſolùm dicitur de illa petitione, qua à Deo poſtulamus beneficia, quæq́; eſt actus latriæ; ſed etiam de illa qua poſtulamus à Sanctis, vt noſtram orationem iuuent,quam fundimus ad Deum; ita etiam voti nomen, non ſolùm conuenit promiſsioni quæ fit Deo,quæ eſt actus latriæ,ſed promiſsioni, quæ fit ſanctis,& quæ non eſt actus latriæ. neque his repugnat, quòd in ſcripturis nomen voti ſemper accipiatur pro promiſſione facta Deo: nam cùm ſcriberentur ſcripturæ ſanctæ, nondum cœperat vſus vouendi ſanctis.

SED OBIICIES, Si promiſsio facta ſanctis mortuis poteſt dici Votum: cur non etiam promiſsio facta ſanctis adhuc viuentibus nobiſcum? Reſpondeo,non valet conſequentia. PRIMÒ: quia promiſsio facta ſanctis cum Chriſto regnantibus eſt ſimilior promiſsioni,quæ fit Deo, quàm ſit promiſsio,quæ fit homini mortali. Nam quemadmodum id,quod promittimus Deo, non eſt illi vtile ſed nobis, & ſolùm fit in ſignum honoris & gratitudinis; ita etiam quod promittimus ſanctis in cælo regnantibus non eſt illis vtile, ſed nobis: neque enim illi rebus noſtris indigent, cùm ſint beati, & ſolùm illis iſta promittimus, & offerimus in ſignum memoriæ,honoris, & gratitudinis. At,quæ hominibus hìc viuentibus promittimus,illis vtilia ſunt,vel certè eſſe poſſunt, cùm ipſi multis rebus egeant.

SECVNDÒ: quia votum non conuenit ſanctis, niſi quatenus ſunt Dei per participationem. At ſanctos cum Chriſto regnantes, certò ſcimus eſſe tales: de viuentibus nobiſcum,non ſcimus certò,ſed ſuſpicamur tantùm.

TERTIÒ, quia ſancti in cælo,iam ſunt actu & re ipſa beati, & glorioſi, & filij Dei, ac dij quidem per participationem: quia ſunt confirmati in illo ſtatu,neq; excidere poſſunt. At ſancti,qui viuūt nobiſcum, potentia ſunt ſancti, & modò ſunt ſancti, modò non ſancti, & magis in ſpe, quàm in re ſunt beati & glorioſi. Rectè igitur quæ mortalibus

promittuntur,non dicuntur vota:dicuntur autem,ſi beatis hominibus in cælo degentibus promittuntur.

Caput II.

De Peregrinationibvs.

HÆreſis & error fuit Claudij Taurinen. apud Ionam lib. 3. de cultu imaginum, inanes eſſe peregrinationes ad loca ſanctorum. Eundem ſequuti ſunt,

Petrobrvsiani, teſte auctore vitæ ſancti Bernardi lib. 3. cap. 5.

Wiclefistae autem, teſte Thoma Valden. Tomo 3. titulo 15. idololatriæ damnabant eos, qui ad loca ſancta peregrinabantur.

Erasmvs Rotherodamus fabuloſus,in Colloquiis,titulo Peregrinatio,religionis ergò,multa ineptè & ſcurriliter,ne dicam impiè contra peregrinationes fabulatur.

Ioannes Caluinus lib. 4. Inſtitutionis cap. 13. § 7. peregrinationes votiuas ad loca ſanctorum, non ſolùm inanes, ſed etiam plenas manifeſta impietate eſſe dicit: non tamen aliter probat, quàm communi ſuo axiomate, quòd omnis voluntarius hominis cultus Deo diſpliceat.

Magdebvrgenses Centuria 4. cap. 6. columna 458. tempore Conſtantini cœpiſſe volunt abuſum peregrinationum ad loca ſanctorum: ſed non diu poſtea refutatum fuiſſe longa oratione à Gregorio Nyſſeno. Quam orationem totam recitant eadem Centuria 4. cap. 10. columna 936. & ſequentibus. Ex qua oratione ſumuntur hæc argumenta.

Primum. Chriſtus, Math. 5. inter ea quæ homines beatos faciunt, non poſuit peregrinationes.

Secundum. Multa ſunt pericula ſpiritualia in itineribus, ac præſertim mulieribus, vt notum eſt.

Tertium. Nihil inuenire poſſumus Hieroſolymis,quod in noſtra regione non habeamus: nam Deus non magis eſt ibi,quàm alibi: vt patet ex eo, quòd homines regionis illius, non ſunt meliores cæteris, ſed fortaſsis peiores. Porrò res Dei, id eſt templa & altaria,vbique inueniri poſſunt. Poterant addere Hieronymi Epiſtolam ad Paulinum, de Inſtitutione Monachi, in qua multis argumentis probat,non expedire peregrinationem ad loca ſancta ſuſcipere: & adducit exempla ſancti Antonii, & aliorum Monachorum, qui licèt in vicinia ſanctorum locorum habitarent; tamen nunquam ad illa venerunt.

SED NIHIL HORVM NOS MOVERE DEBET. Sunt enim peregrinationes, ad loca ſancta, piæ, & religioſæ, vt ſacroſanctum Concilium Tridentinum, Seſſione 25. rectiſsimè docet. Id probatur primùm ſcripturæ teſtimonio. Exodi 23. *Peregrino moleſtus non eris:* Scitis enim aduenarũ animas: *quia et ipſi peregrini fuiſtis in terra Ægypti.* Item, ibidem Exodi 23. & Deute. 16. Deus inſtituit, vt omnes filii Iſraël, ter in anno ad tabernaculum, vel templum Domini peregrinarentur: quod præceptum ſtudioſè ſeruabat Helcana, & Anna vxor eius lib. 1. Regum ca. 1. Nec non Chriſtus ipſe cum Maria matre ſua, & S. Ioſepho, Lucę 2. Item, Ioan. 12. etiam Gentiles veniebant adorare in Ieruſalem, propria regione relicta. Item, Actuum 8. Eunuchus æthiops ex longinqua regione veniebat adorare in Ieruſalem. Item, Actuum 20. Paulus ipſe feſtinabat in itinere, vt in Ieruſalem faceret Pentecoſten, quem locum adducit Hieronymus in Epiſt. 17. ad Marcellam, vt oſtēdat bonum eſſe ad loca ſancta peregrinari. Quin & modum peregrinationis oſtendit 5. S. Petrus Apoſtolus 1. Petri ca. 4. dicens: *Chariſsimi, nolite peregrinari in feruore,* (qui ad tentationem vobis fit) *quaſi noui aliquid vobis contingat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus.* Hæ itaque authoritates ſcripturæ, & hæc exempla, imò plura alia in ſcripturis poſita, quæ nullo modo reprehendi poſſunt, ſatis indicant, non eſſe inanem peregrinationem.

Secundò probatur ex patribus. Euſebius lib. 6. cap. 9. Hiſtorię. *Alexander,* inquit, *Hieroſolymam adorandi, & locorum ſanctorum videndi cauſa properauit.* Idem refert Hieronymus libro de viris illuſtribus in Alexandro. Porrò iſte Alexander floruit centum annis ante tempora Conſtantini: & martyr fuit ſanctiſsimus, quem etiam mirificè laudant Magdeburgenſes Centuria 3. cap. 10. in principio. Ex quo apparet, mendacium eſſe Magdeburgenſium, quòd cœperint peregrinationes ad loca ſancta tempore Conſtantini.

SANCTVS NICOLAVS quoque adoleſcens, ante Conſtantini imperium, voti cauſa peregrinatus eſt in Ieruſalem, auctore Symone Metaphraſte.

Idem Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini: & Ambroſius Oratione de obitu Theodoſij, laudant Helenam, quòd religionis cauſa Hieroſolymam iuerit.

GAVDENTIVS Epiſcopus Brixianus, in Sermone de Dedicatione templi, ſcribit ſe peregrinatum in Ieruſalem, & in itinere, cùm tranſiret per Cæſaream Capadociæ, accepiſſe dono, à duabus ſanctis mulieribus, neptibus Magni Baſilij, reliquias 40. martyrum.

IOANNES Chryſoſtomus Homelia 66. ad populum Antiochęnum

circa finem, comparans ſepulchra Martyrum, cum ſepulchris regum. *Itaq;* inquit, *quò regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò reges, plerumq; huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt: futuri namq; iudicij veſtigia, & ſigna ſanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.*

HIERONYMVS Epiſtola 17. ad Marcellam: *Longum eſt,* inquit, *nūc ab aſcenſione Domini, vſq; ad præſentem diem, per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina eccleſiaſtica virorum, venerint Hieroſolymam, putantes minus ſe religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam vt dicitur, manum accepiſſe virtutum; niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo corruſcauerat.* Item, in Epiſtola 27. de obitu Paulæ: *Cuius,* inquit, *gentis homines ad loca ſancta non veniunt?*

Item, in Epiſtola 46. ad Ruſticum, qui venerat peregrinari ad loca ſancta Palęſtinæ: *Redde,* inquit, *quod præſente Domino ſpopondiſti: incerta eſt vita mortalium: ne antè rapiaris, quàm tuam impleas ſponſionem.*

Denique Epiſtola 154. ad Deſiderium, hortatur illum, vt veniat ad loca ſancta, & inter alia dicit: *Certè adoraſſe, vbi ſteterunt pedes Domini, pars fidei eſt.*

SVLPITIVS lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ deſcribens acta Helenæ dicit, illud eſſe mirandum Hieroſolymis, quòd in loco, vnde Dominus cælum aſcendit, adhuc ſeruentur pedum eius veſtigia: & cùm ad eum locum vndique fideles confluant, & rapiant aliquid calcati pulueris, damnum tamen arena non ſentiat.

PAVLINVS Epiſtola vndecima ad Seuerū: *Non aliter,* inquit, *affectus homines ad Hieroſolymam rapit; niſi vt loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videant atq; contingant.*

Et Natali 3. S. Felicis, ſcribit turbas innumerabiles, ex remotiſsimis locis, peregrinari ſolitas ad corpus ſancti Felicis. PRVDENTIVS in Hymno de SS. Hemiterio & Chelidonio.

Exteri nec non & orbis,
Huc colonus aduenit:
Fama nam terras in omnes
Præcurrit proditrix;
Hîc patronos eſſe mundi
Quos precantes ambiant.

AVGVSTINVS Epiſtola 137. ad Clerum & populum Hipponenſem: *Elegi,* inquit, *aliquid medium, vt certo placito ſe ambo conſtringerent, ad locum ſanctum ſe peregrinaturos.*

CASSIANVS lib. 4. de inſtitutis renunciantium, cap. 31. meminit Mona-

Monachorum, qui orationis cauſa ad loca ſancta pergebant. *Quidam,* inquit, *fratrum ad loca ſancta de Ægypti partibus orationis cauſa conuenerant.*

SOCRATES libro 7. cap. penultimo ſcribit, Eudociam Theodoſij iunioris vxorem, ex voto Hieroſolymæ peregrinationem ſuſcepiſſe.

SANCTVM ALEXIVM peregrinatum ad nobiliores eccleſias mundi, ſcribit Simon Methapraſtes in eius vita.

BEDA lib. 5. Hiſtoriæ, cap. 7. ſcribit regem Cęduallam peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcepiſſe, cupientem ibi baptiſmum ſuſcipere, & mox à baptiſmo, ex hac vita migrare: quorum vtrumque impetrauit. Nam in Sabbatho ſancto à Papa Sergio baptizatus, in ipſa Hebdomada Paſchæ in Albis poſitus, leui morbo correptus, migrauit ad Dominum.

Item, cap. 20. ſcribit regem Cænredum, relicto regno peregrinationem ad Apoſtolorum limina ſuſcepiſſe, & apud eadem limina, in ieiuniis, & precibus vſque ad vitæ finem permanſiſſe.

NICOLAVS I. in Epiſtola ad Michaëlem ſcribit, multa millia hominum, ex omnibus terræ finibus confluere ſolita, ad limina Apoſtolorum religionis cauſa.

PALLADIVS, in Hiſtoria Lauſiaca, cap. 113. ſcribit, Philoronaum Presbyterum, bis voti cauſa peregrinatum Hieroſolymam, & item ex voto peregrinatum, Romam ad limina Apoſtolorum, & Alexandriam ad reliquias S. Marci.

Idem, cap. 118. ſcribit Molaniam Hieroſolymæ occupatam, in ſuſcipiendis peregrinis, ex toto orbe venientibus.

HIS ADDE CONCILIVM CABILONEN: ſub Carolo magno celebratum, quod Canone 45. docet, eorum deuotionem omnibus probari debere, qui pœnitentiæ cauſa, ad limina Apoſtolorum, vel alia ſancta loca peregrinantur.

PROBATVR vltimò ratione ſumpta ex vtilitate peregrinationum: nam præter cætera, tria bona adferunt.

Primò, cedunt in honorem Dei, & ſanctorum non mediocrem: Eſt enim manifeſtum ſignum, Deum & Sanctos à nobis magni fieri, cùm laborem & pericula itinerum ſponte ſuſcipimus, vt ſanctorum reliquias inuiſamus.

Secundò, Peregrinatio, eſt opus pœnitentiæ, & ſatisfactionis: quia laborioſum & pœnale.

Tertiò, Auget deuotionem: nam præſentia loci ſancti, vix dici poteſt, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reuerentiam: & licèt vbique ſint aliqua ſancta loca; tamen ſæpè alibi ſunt ſanctiora,

ad quæ vtile eſt peregrinari: vel ſi non ſint ſanctiora; ſunt tamen alia ab his, quæ in noſtra patria inueniuntur, & ipſa nouitas iuuat ad excitandam deuotionem. Sæpè etiam peculiari amore ferimur erga ſancti alicuius memoriam, quæ procul abeſt à nobis, & eò accedere non parum iuuat, licèt habeamus domi memorias celebriores.

Ex his ad argumentum *Caluini* dico: Cultum voluntarium dici eum, qui ſine ratione ſuſcipitur, vt ſi quis voueat ſe non iturum ad mẽſam, niſi bis lauerit manus. At cultus, qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licèt non ſit præceptus, vt patet Numer. 30. vbi Dominus iubet impleri vota rerum non præceptarum.

Ad Magdeburgenſes dico duo: Primò forte non eſſe Nyſſeni illam Orationem: nam nec habetur in operibus eius: nec ſcitur, quis eam verterit in ſermonem Latinum, & fortè etiam Græcè non inuenitur.

Secundò dico, in ea oratione non reprehendi abſolutè peregrinationem in Ieruſalem, ſed reprehendi eiuſmodi peregrinationem in certis perſonis, id eſt, monachis & ſanctimonialibus: nam de talibus ſolùm eo loco agitur.

QVAMVIS AVTEM PEREGRINATIO SIT BONA: tamen non omnibus conuenit: quidam enim ſunt, quibus non conuenit peregrinari: quales ſunt mulieres, niſi magnum & tutum habeant comitatum. Item monachi, qui in clauſtris, in ſilentio, precibus ac ieiuniis exercentur: illorum enim maius bonum impeditur, minore bono peregrinationis. Adde, quòd multum intereſt, qua intentione, quoué animo, & modo quis peregrinetur. Vnde Apoſtolus D. Petrus, 1. Petri cap. 4. *Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis ſit, quaſi noui aliquid vobis contingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus:* & hoc modo Ionas lib. 3. reſpondet ad calumnias Claudii, contra Abbatem Theodemirum: dixerat enim Claudius Abbati, laudanti peregrinationes ad vrbem. Quare tu monachos tuos retines in monaſterio, & non mittis omnes Romam? Reſpondet Ionas pro Abbate, quia peregrinatio eſt bona; ſed non conuenit monachis: ſicut & nuptiæ bonæ ſunt; ſed non conueniunt profeſſoribus continentiæ. Sic etiam Hieronymus, qui tam multa dixit, in laudem peregrinationum: tamen Paulinum Monachum dehortatur à peregrinatione, quia propoſito eius magis conueniebat quies, & ſtabilitas monaſterii. vbi etiam rectè monuit idem Hieronymus ſanctum Antonium, quia monachus erat, nunquam peregrinatum ad loca ſancta. Hilarionem autem, quia in Palæſtina degebat, ſemel tantùm loca ſancta inuiſiſſe: ne videretur contemnere religionem eorũ locorum, quæ in vicinia erant. SIC ergo & Gregorius Nyſſenus facit,

facit: nam alioqui, quomodo credibile eſt, Nyſſenum voluiſſe reprehendere, quod ſciebat factum à ſancto Alexandro martyre, ſuæ religionis homine, & quod non ignorabat laudari ab omnibus Doctoribus ſuæ ætatis.

SED DILVAMVS OBIECTIONES. Ad primam rationem dico, ea probari ſolùm, peregrinationem non eſſe opus neceſſarium ad perfectionem, vel ad ſalutem. Et ad hoc ſolùm probandum adfertur à Gregorio: nam monachi illi putabant ſe non eſſe perfectos, niſi viderent loca ſancta, quod certè falſum erat.

AD SECVNDVM dico: Illa pericula rectè probare peregrinationem non eſſe omnibus accommodatam; ſed ſolùm viris maturis, & quibus parum aut nihil periculi immineat. Gregorius igitur rectè argumentatur: quia de ſanctimonialibus agit, cùm dicit propter pericula debere omitti eiuſmodi peregrinationes; nulli enim hominum generi magis cauenda ſunt pericula tentationum, quàm ſanctimonialibus, quibus & ſexus, & profeſsio, cautionem maximam indicit.

AD TERTIVM dico, nihil eſſe Hieroſolymis, quod non poſsit alibi inueniri, ſi agamus de rebus eſſentialibus, & neceſſarijs ad religionem: nam Deus eſt vbique: templa, altaria, ſacramenta etiam vbiq; inueniri poſſunt: & hoc ſufficiebat Gregorio, vt ſuaderet Monachis, & virginibus, ne ſolliciti eſſent pro itinere Hieroſolymitano. Tamen interim negari non poteſt, quin aliquid ſit Hieroſolymis, quo deuotio iuuari poſsit, quod alibi non inuenitur, nimirum ſepulchrum Domini, & loca ſancta, quæ toties Dominus calcauit, & in quibus perſonaliter tot miracula operatus eſt. Sed hæc non tanti facienda ſunt, vt propterea oporteat deſerere maiora bona.

Caput III.

DE OFFERTORIIS.

ERaſmus Rotherodamus in colloquiis, dialogo, qui inſcribitur, Peregrinatio religionis ergò, offertoria & oblationes Chriſtianorum ridet dicens. Alia aliis locis oſtenduntur, vt vberior fiat largitio, iuxta illud:

Fit citò, per multas præda petita manus:

OFFERTORIA ET OBLATIONES, QVAE FIVNT, ET FIERI DEBENT IN ECCLESIA CATHOLICA, SCRIPTVRIS TAM VETERIS QVAM NOVI TESTAMENTI CONFIRMANTVR.

Primùm

Primùm, Offertoria eſſe de præcepto, quia ſcriptum eſt: Exo. 23. Item, ibidem 34. & Deuter. 16. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.*

Item, Leuitici 12. *Quòd ſi non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, et alterum pro peccato: orabitq; pro ea ſacerdos, et ſic mundabitur.*

Item Numerorum cap. 5. *Omnes quoq; primitiæ, quas offerunt filij Iſraël, ad ſacerdotem pertinent: & quidquid in Sanctuarium offertur à ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit.*

Item, Deuterono. cap. 12. & 13. *Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Iſraël, tam de hominibus, quàm de iumentis: mea enim ſunt omnia.*

EXEMPLA.

HOc præceptum Dei ſciuit, & obſeruauit diligenter, vnde & in ſcripturis cõmendatur, Anna mater Samuelis 1. Regum cap. 1. *Et adduxit eum*, id eſt, puerum Samuelem, *ſecum, poſtquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini: & adduxit eum in domum Domini in Silo.*

Non ſolùm autem Offertoria, quæ præcepta ſunt in lege confirmantur exemplis, & antiquo vſu, verùm etiam Anathemata, quæ vel circa ſepulchra ſanctorum martyrum, vel in parietibus templi ſuſpenduntur, confirmantur antiquo vſu & exemplis, quia ſcriptum eſt, 1. Regum cap. 6. vt Phyliſtini à ſe poſſent amouere & auertere plagas, ſecundùm conſilium ſacerdotum, non ſolùm arcam Dei Iſraël remiſerunt, ſed etiam anathemata, hoc eſt, quinque anos aureos, & quinque mures aureos fecerunt, & pendere fecerunt de plauſtro, in quo arca Dei ducebatur.

Item, Iudith cap. 16. *Porrò Iudith vniuerſa vaſa bellica Holophernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in Anathema obliuionis.*

IN NOVO TESTAMENTO, Offertoria ſimiliter de præcepto: quia ſcriptum eſt Math. 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum.*

Item, Primo ad Corint. 9. *Scriptum eſt enim in lege Moyſi*, Deut. 15. *Non alligabis os boui trituranti: Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter vos vtiq; hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* SI NOS VOBIS SPIRITVALIA SEMINAVIMVS, MAGNVM EST, SI NOS CARNALIA VESTRA METAMVS? Et paulò poſt ibidem: *Neſcitis, quoniam, qui in*

ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altario deſeruiunt, cum altario participant? ita enim Dominus ordinauit, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

EXEMPLA.

PRIMVM EXEMPLVM. Sciuit hoc pręceptum, & hanc ordinationem Dei, ſancta Dei genitrix virgo Maria, & obſeruauit fideliter, ſicut ſcriptum eſt Lucæ 2. cap. *Tulerunt puerum Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent cum Domino, & vt darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini*, Leuit. 12. *par turturum, aut duos pullos columbarum.*

SECVNDVM EXEMPLVM legitur Matth. Cap. 2. de tribus Magis. Nam dicitur: *Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera: aurum, thus, & myrrham.* Et Lucę 21. *Reſpiciens autem vidit eos, qui mittebant munera ſua in Gazophylatium diuites: vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Vere dico vobis: quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes, miſit. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit miſit.*

NOTABILE SEPTIMVM.

QVia teſte Ariſtot. li. 2. de Ani. Actus actiuorũ ſunt in patiẽte prę diſpoſito. Audiuimus Indulgẽtiarũ myſteria: videamus viciſsim & diſcamus ex Scripturis præcepta fidei, & præcepta moralia, quæ in Eccleſia Catholica præparant & diſponunt hominem ad gratiam Iubilei & indulgentiarum iuxta illud Ioſue cap. 3. *Dixitq; Ioſue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Et paulò pòſt ibidem: *In hoc*, inquit, *ſcietis, quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, & Hethæum, Heuæum & Phereſæum, Gergeſæum quoque, & Iebuſæum, & Amorræum*, id eſt ſecundùm Origenem, ſeptem peccata mortalia. *Et ecce arca fœderis Domini omnis terræ, antecedet vos per Iordanem.*

Ergo, ſi volumus gratiam indulgentiarum obtinere, debemus nos prius ſecundùm media, conſilia, & remedia ſcripturarum diſponere.

Caput I.

QVIA SINE FIDE NEMO POTEST CONSEQVI INDVLGENTIAS.

REX & Propheta Dauid, Pſalm. 68. dicit: *Quærite Deum & viuet anima veſtra.* Et Sapiens, Sapientiæ cap. 1. quaſi exponens hæc verba

ba Pſalmographi dicit: *Sentite Domino in bonitate.* & ſtatim quomodo quærendus Deus docet: *& in ſimplicitate cordis, quærite illum:* quia ſcriptura dicit Eccleſiaſt. 1. *Ne acceſſeris ad Deum duplici animo:* Et Eccleſ. 2. *Ve duplici corde.* Et Iac. cap. 1. *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis, &c. Quoniam inuenietur ab his, qui non tentant illum.* Obſecro, non tentemus Chriſtum: quia dicit Apoſtolus, 1. ad Corint. 10. *Neq; tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt:* Quærite Deum chariſsimi: Vultis videre Deum? audite, audite: Apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Ergo credite in Deum: nam fides diſponit ad indulgentiam, & homini ſeipſum manifeſtat Deus per fidem. Vnde Apoſtolus ad Hebr. cap. 11. dicit: *Sine fide autem, impoſsibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt: & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et Salomon Prouer. cap. 15. *Per miſericordiam & fidem, purgantur peccata: per timorem autem Domini, declinat omnis à malo. Mens iuſti meditabitur obedientiam: & os impiorum redundat malis.*

Item Actorum 15. *Fide purificat Deus corda gentium:* Ergo fides diſponit ad indulgentiam: quia purgat peccata: quia reconciliat Deo: & quia homini manifeſtat Deum. Stemus itaque in fide, quando ſub indulgentia quærimus Deum.

Caput II.

NEMINI DESPERANDVM DE INDVLGENTIA.

BEatus Paulus Apoſtolus, ad Roma. cap. 5. dicit: *Spes autem non confundit.* Et ad Roma. 8. *Spe enim ſalui facti ſumus.* Propterea Dauid ſpem plurimis locis in Pſalmis extollit: vt Pſalm. 33. & Pſalm. 83. &c. *Beatus vir qui ſperat in eo.* Item, Prouer. 16. *Eruditus in verbo reperiet bona, & qui ſperat in Domino, beatus eſt.* Item, Iob 13. *Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* D. Auguſtinus ſermone 58. de Tempore: *Non qui peccauerit, ſed qui in peccatis perſeuerauerit, odibilis, & abominabilis Deo erit.* Nam, vt de indulgentia diuina, nemo diffidat, Dominus per Prophetam Ezechiel. 13. & 18. velut Pater pijſsimus conſolatur, dicens: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* Et illud: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Sed iſta tam magna miſericordia tunc nobis prodeſt, ſi non tardauerimus conuerti ad Dominum, nec crimina criminibus ſuperaddimus. Denique etiam in ipſis vulneribus, vel fracturis corporum, infirmitates cognoſcere poſſumus animarum. Si enim alicui pes

cui pes frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium reuocari: ſi verò ſecundò & tertiò, & adhuc frequentius in eodem loco membra ipſa frangantur; poteſt intelligere charitas veſtra, cum quantis doloribus vulnera ipſa curanda ſunt: & tamen poſt longas, & multas tribulationes, vix erit antequam ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant reuocari. Similis ratio in animarum fracturis, ſeu vulneribus eſſe credenda eſt: ſi ſemel aliquis, vel ſecundò peccauerit, & ſine aliqua diſsimulatione, ad pœnitentiæ medicamenta confugerit; priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœditate recipiet. Si verò peccata peccatis cœperint addi, & animarum vulnera magis tegendo, vel defendendo putreſcere, quàm confitendo & pœnitendo curari; timendum eſt, ne in illo impleatur illud, quod Apoſtolus ad Romanos cap. 2. dixit. *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem ſecundùm duritiam cordis tui, et cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.*

Sed fortè cogitat aliquis, tam grauia ſe admiſiſſe peccata, vt iam Dei miſericordiam promereri non poſsit. *Abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum. O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis; cur & omnipotentiam cœleſtis medici non attendis? Cùm enim Deus velit miſereri, quia bonus eſt: & poſsit, quia omnipotens eſt; ipſe contra ſe diuinæ pietatis ianuam claudit, qui Deum ſibi miſereri aut non velle, aut non poſſe credit, eumq́; aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit. Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina de miſericordia diuina deſperet: ſic tamen non deſperet, vt ſine vlla mora Deum ſibi repropitiari feſtinet; ne fortè, ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiamſi velit, de diaboli laqueis liberari non poſsit.* Hæc D. Auguſtinus.

Caput III.

Qvia Charitas, in qva Decalogvs, disponit hominem ad Indvlgentiam.

Qvicunque criminum rei ſunt, & grauioribus peccatis offenderunt, vt indulgentiam conſequantur; ad maiorem charitatem & dilectionem, lege Euangelica obligantur. Nam Magiſter ſaluator & legiſlator noſter, Lucæ capite 7. hanc legem tulit: *Dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ergo, qui crimina & grauiora peccata commiſerunt, debent ita charitate præpollere; vt grauiora mala, & omnia aduerſa, æ-

quo animo ſemper vbique perferant: quia teſte Apoſtolo 1. ad Corin. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas*, 1. Petri cap. 4. *operit multitudinem peccatorum.* vnde Apoſtolus ad Roma: cap. 8. *Certus ſum, quòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq, virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq, creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Proſper, Regienſis Epiſcopus lib. 3. de vita contemplatiua capit. 13. *Charitas eſt, vt mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præſentibus prorſus auerſa, iuncta Deo inſeparabiliter, & vnita igne quodam ſancti Spiritus, à quo eſt, & ad quem reffertur incenſa: inquinamenti omnis extranea: corrumpi neſcia: nullo vitio mutabilitatis obnoxia: ſupra omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelſa: affectionum omnium potentiſſima: diuinæ contemplationis auida: in omnibus ſemper inuicta: ſumma actionum bonarum: ſalus morum: finis cæleſtium præceptorum: mors criminũ: vita virtutum: virtus pugnantium: palma victorum: anima ſanctarum mentium: cauſa meritorum bonorum: premium perfectorum. In peccatis ſuis mortuos ſuſcitat: languentes ſanat: perditos inſtaurat: ſpem deſperatis inſpirat: pacificatas mentes inhabitat: fructuoſa in pœnitentibus: læta in proficientibus: glorioſa in perſeuerantibus: victorioſa in martyribus: operoſa in omnibus omninò fidelibus. quam fides concipit: ad quam ſpes currit: cui profectus omnium ſeruit: ex qua, quidquid eſt boni operis, viuit. Sub qua obedientia creſcit: per quam patientia vincit: propter quam carnalia blandimenta, deuotio religioſa contemnit: ſine qua nullus Deo placuit: cum qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc eſt charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominauit ſanctus Apoſtolus. Et verè ipſa eſt via, quæ ducit per ſe ambulantes ad patriam: quia ſicut ſine via peruenit nullus quò intendit; ita ſine charitate, quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare. Et cap. 15. Ergo ſi charitatem Deo exhibeamus, & proximo de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; facilè peccato reſiſtimus, bonis omnibus abundamus, ſeculi blandimenta contemnimus, & omnia quæ difficilia ſunt humanæ fragilitati, vel aſpera etiam cum delectatione perficimus; ſi tamen Deum charitate perfecta, quæ nobis ex illo eſt, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligimus.*

Ergò vt nos præparemus ad Iubileum & Indulgentiam, & vt gratiam iubilei & indulgentiæ retineamus, conſeruemus vt theſaurum, & indulgentia vtamur; debemus diligere Deum, & proximum, ſicut in Decalogo nobis præcipitur.

Porrò

Porrò, non tantùm illi proximi noſtri credendi ſunt, quos nobis gradus ſanguinis iungit: ſed proximi noſtri credendi ſunt, omnes homines naturæ noſtræ participes. Nam ſi propinquos noſtros, quamuis incompoſitos, turpes, ac malè moratos, plus, quàm quoſlibet ſanctos, quos à nobis ſecundùm ſanguinem vocamus extraneos, diligamus; non ſolùm carnaliter diligimus; ſed etiam grauiter, in tali eorum dilectione peccamus. Proinde, ſecundùm nos, proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, & ad æternam vitam conſequendam, ſicut nobis, ſaluti eorum conſulimus: quando nos in eorum peccatis, ac periculis cogitamus, & ſicut nobis ſubueniri optamus; ita eis pro viribus ſubuenimus: aut ſi facultas defuerit, voluntatem ſubueniendi tenemus. Quapropter hæc eſt proximi tota dilectio, vt bonum, quod tibi conferri vis, velis proximo: & malum, quod tibi nolis accidere, nolis proximo. Hæc Proſper.

Itaque, ſi ante omnia mutuam in nobiſmetipſis charitatem continuam habebimus: ſi Decalogum ſeruabimus, dicit Propheta Pſalm. 102. *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors, Non in perpetuum iraſcetur, neq; in æternum comminabitur. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundùm altitudinem cæli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus: homo ſicut fænum: dies eius tanquam flos agri, ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſq; in æternum ſuper timentes eum. Et iuſtitia illius in filios filiorum, his, qui ſeruant teſtamentum eius. Et memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea.* Seruemus igitur mandata Dei, & conſequemur gratiam Iubilei & Indulgentiæ. Honoremus obſecro parentes: quia ſcriptum eſt, Eccleſia. cap. 3. *Fili, ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius: et ſi defecerit ſenſu, veniam da: & ne ſpernas eum in vita tua: eleemoſyna enim patris, non erit in obliuione: nam pro peccato matris, reſtituetur tibi bonum, & in iuſtitia ædificabitur tibi: & in die tribulationis commemorabitur tui: & ſicut in ſereno glacies, ſoluentur peccata tua.*

Caput IIII.

QVIA TIMOR DEI ET FRATERNA RECONCILIATIO DISPONVNT HOMINEM AD INDVLGENTIAM.

SCriptum eſt, Eccleſiaſtici cap. 1. *Timor Domini, expellit peccatum: nam, qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.*

De timore Dei, eſt bona & ſatis prolixa doctrina, Eccleſiaſtici toto cap. 2. quod hîc poterit totum de verbo ad verbum poni. Item, Eccleſiaſtici cap. 4.

Dominus per Prophetam Iſaiam capite 1. nos ad indulgentiam diſponit ſic: *Dicit Dominus: Lauamini & mundi eſtote: auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum eſt.*

Item Dominus per Iſaiam cap. 58. nos ad indulgentiam præparat ſic: *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, & cæt.* Super quibus verbis Diuus Hieronymus.

Septuaginta συναλλαγμάτων *commutationes pro chyrographis interpretati ſunt. Significat autem chartarum faſciculos, in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno.* (Iacob. 2. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia? nonne & ipſi blaſphemant bonum nomen, quod inuocatum eſt ſuper vos?*) *quæ in cunctis vrbibus ſeditionis cauſa, vel maxima eſt. vnde et Romanus populus vicinos occupat montes, & tabulæ nouæ, quas Græci appellant* χρεῶν ἀποκοπάς. *Non ergo præcepit Propheta, ne exigat quiſq; quod debitum eſt, maximè quod iuſtè dedit, & iuſtè repetit: alioquin Tribunitiæ eſſet ſeditionis aſſertor: ſed vbi iniqua eſt cautio, vbi opprimuntur pauperes calumnia; ibi faſciculi cautionum, & omnia iniquitatis vincula rumpenda ſunt. Vel certè hoc dicendum: quia de ieiunio ſermo eſt, & ieiunium afflictionem, atq; humiliationem habet animæ: afflictio autem corporis peccatorum, indulgentiam deprecatur: docet ſcriptura diuina, vt dimittamus debitoribus noſtris, vt & pater cæleſtis dimittat nobis debita noſtra. Vetus narrat Hiſtoria* Leuit. 25. & 27. *anno remiſſionis ſeptimo, vel quinquageſimo, qui eſt verus Iubileus: omnes poſſeſſiones redire ad dominos, & reddi ſeruis priſtinam libertatē, cunctaq; nomina, quæ vulgò appellantur Cautiones, irrita fieri. Sin autem hoc veteri lege præcipitur; quantò magis in Euangelio, vbi omnia quæ bona ſunt duplicantur, & nequaquam oculum pro oculo, dentem pro dente iubemur eruere; ſed verberanti præbere maxillam? atq; vt ſciamus illud, quod ſuprà diximus, Omnes debitores veſtros repetitis, de creditoribus ſcribi. de debitoribus iungitur manifeſtiùs: Dimitte*

mitte eos qui confracti ſunt liberos, hoc eſt, qui paupertate ſunt fracti, quos afflixit inopia: ne liberos ſinas mendicare, & omne onus quo deprimitur rumpe: pro quo ſeptuaginta: Et omnem ſcriptum iniquam conſcinde: quod Symmachus tranſtulit, Et omnem cautionem falſam diſrumpe. Sed poterat fieri, vt aliquis diceret: Non habeo debitores: quid facere debeo, vt ſuſcipiatur ieiunium meum? Sequitur: Frange eſurienti panem tuum: non plures panes, ne de paupertate cauſeris; ſed vnum panem: nec ipſum totum, ſed partem panis, quam, ſi non ieiunares, comeſurus eras, vt ieiunium tuum non ſit lucrum marſupij, ſed ſaturitas animæ. Hæc Diuus Hieronymus. Ergo ſemper vbique, ſed præcipuè in diebus iubilei, & in loco indulgentiarum, timeamus Deum, dimittamus & reconciliemur proximis, agamus pœnitentiam: quia hic mundus, eſt pœnitentiæ locus. Humiliemus nos Deo, ieiunemus, eleemoſynas, & alia pia opera faciamus, ſine intermiſsione oremus, & pro peccatis noſtris ſatisfaciamus. Sic indulgentiam gratia Dei in Eccleſia Catholica conſequemur. Illud autem Sapientis ſemper ante oculos habeamus, Prouerb. 16. *Cor hominis diſponit viam ſuam; ſed Domini eſt dirigere greſſus eius.* Et illud Saluatoris, Lucæ 17. *Et vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Nam dicit Dominus Ieremiæ 10. *Quis eſt iſte, qui applicat cor ſuum, vt appropinquet mihi?* Propterea Apoſtolus ad Rom. cap. 9. dicit: *Non volentis, neq; currentis; ſed miſerentis eſt Dei.*

Caput V.

De modo celebrandi, et sanctificandi in ecclesia Iubileum, et Indulgentias.

CVm igitur nos prædicto, vel aliquo meliori modo, pręparauerimus & diſpoſuerimus benè fundati in fide, tum in Cæremoniis, & in moribus ad indulgentias, tum ipſemet Dominus per Prophetam Ioëlem cap. 2. præſcribit, & oſtendit nobis omnibus in commune, tàm ſacerdotibus quàm populo, modum & viam, qua debeamus Domino Deo noſtro celebrare, & ſanctificare indulgentias, ſic dicens:

Canite tuba in Sion, vlulate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini.

Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu, & in planctu: & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Et conuertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper

 malitia.

malitia. Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem? Sacrificium & libamen Domino Deo veſtro. Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo: inter veſtibulum, & altare plorabūt ſacerdotes, miniſtri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, vbi eſt Deus eorum? Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo.

Sic poſitis & præmiſsis Notabilibus, infertur Concluſio prima.

CONCLVSIO PRIMA.

CAtholici ſummo conſenſu credunt, confitentur, prædicant, & docent, Meſsiam, legiſlatorem, mediatorem, Chriſtum Dominum, indulgentias vnâ cum ſacerdotio, lege, ſacrificio, & benedictione, ex Synagoga, ad Eccleſiam tranſtuliſſe, reformaſſe, & perfeciſſe, ad Hebræ. cap. 7. & 8. Item, redemptorem, & ſaluatorem eundem Chriſtum Dominum, indulgentiarum poteſtatem in Eccleſia reliquiſſe: atq; vſum indulgentiarum Chriſtiano populo ſummoperè neceſſarium, & maximè ſalutarem eſſe.

Tria ſunt huius Concluſionis pūcta: PRIMVM PVNCTVM eſt, Catholici ſummo conſenſu credunt, confitentur, prædicant, & docent, Meſsiam legiſlatorem Chriſtum Dominum, indulgentias, vnâ cum ſacerdotio, lege, ſacrificio, & benedictione, ex Synagoga ad Eccleſiam tranſtuliſſe, reformaſſe, ac perfeciſſe: ad Hebr. 7. SECVNDVM PVNCTVM. Item, Mediatorem, redemptorem, & ſaluatorem Chriſtum indulgentiarum poteſtatem in Eccleſia reliquiſſe. TERTIVM PVNCTVM, atque vſum indulgentiarum, Chriſtiano populo, ſummoperè neceſſarium, & maximè ſalutarem eſſe.

QVANTVM AD PRIMVM PVNCTVM, Veritas concluſionis patet, ex Notabili ſecundo cap. 2. 3. 4. 5. 6. Item Notabili 3. cap. 1. 2. 3. 4. 5.

Item, probatur authoritate ſcripturæ ad Hebr. cap. 7. vbi dicit Apoſtolus: *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat.*

Super

Super quibus verbis dicit D. Ambroſius, & Gloſa ordinaria. Si igitur ſacerdotii tranſlatio eſt, neceſſe eſt & legis (in qua ponuntur & continentur indulgentiæ) eſſe tranſlationem. Neque enim ſacerdos poteſt ſine Teſtamento eſſe, & ſine lege, & ſine præceptis.

Item, Dionyſius Carthuſianus, & Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarien. ſuper iiſdem verbis Apoſtoli dicunt: Lex namque, & ſacerdotium ſimul ſunt, & ſe concomitantur, nec vnum prodeſt ſine officio alterius: ideò quod de vno dicitur, de alio intelligitur: vnde vno mutato, mutatur & aliud: & dum alterum perficitur, alterum perfici ſimul neceſſe eſt: & ſi euacuatur, & ceſſat vnum, alterum euacuari, & ceſſare eſt neceſſe. Porrò, cùm ſcriptura dicit 2. Corint. 3. quia figura euacuatur per manifeſtationem veritatis, exponit Anſelmus, id eſt, viſibilis gloria legis euacuatur, per gloriam Euangelii. Ita enim euacuatur, vt proficiat: ſicut infantia euacuatur in iuuentute, & ſemen in fructu, &c. Propterea Saluator Math. cap. 5. dicit: *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed ad implere.* Ergo Chriſtus Dominus, quando adimpleuit legem, adimpleuit ſimul & indulgentias: quia in lege continentur indulgentiæ, vt patet Notabili ſecundo, & Notabili 5. cap. 4. Leuit. 25. & 27.

Item, quando Chriſtus Dominus tranſtulit legem, & ſacerdotium; tranſtulit ſimul ſacrificium, tranſtulit benedictiones, & indulgentias ex Synagoga ad Eccleſiam: cùm propter cauſam ſuperiùs dictam; tum vt impleret promiſsionem Ioan. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum:* ſi omnia, ergo & indulgentias.

Vnde D. Auguſtinus, in Pſalmum centeſimum trigeſimum ſecundum: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum &c. *Verùm tamen,* inquit, *dilectiſſimi, ſi conſideremus de illo pariete circumciſionis; ibi priùs nata eſt benedictio* (& per conſequens & indulgentia: quia benedictio & indulgentia ſunt cognata) *Num enim omnes Iudæi perierunt? Et vnde Apoſtoli filij Prophetarum, filij excuſſorum? Vnde illi Quingenti, qui Dominum poſt reſurrectionem viderunt, quod commemorat Apoſtolus Paulus? vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & aſcenſionem in cælum: quibus in vno loco conſtitutis ſuperuenit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes miſſus de cælo, ſic miſſus, ſicut promiſſus? Omnes inde erant, &c.* Et poſt pauca: *Ergo ipſi primi audierunt benedictionem* (& indulgentiam) *Primi audierunt; ſed non ſoli audierunt: non enim vſque ad illos iſta dilectio, & vnitas fratrum venit, venit enim & ad poſteros iſta charitas, exultatio, votum Deo* (adde benedictio, & indulgentia) Hæc Diuus Auguſtinus.

PORRO, QVIA INDVLGENTIAE EX SYNAGOGA AD ECCLESIAM SVNT TRANSLATAE, HIS RATIONIBVS PROBATVR.

PRIMA RATIO. Deus vineam ex Aegypto tranſtulit in Palęſtinam: igitur & indulgentias vnà cum ſacerdotio, lege, & ſacrificio ex Synagoga tranſtulit in Eccleſiam.

CONSEQVENTIA à toto ad partem, & à ſimili.

ANTECEDENS Pſalm. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, & plantaſti radices eius, & impleuit terram.*

SECVNDA RATIO, Cùm ſacerdotio & lege, ex Synagoga ad Eccleſiam Catholicam, benedictiones ſunt tranſlatæ: igitur & indulgentiæ cum Iubileis.

CONSEQVENTIA à cognatis, ſiue à genere ad ſpeciem.

ANTECEDENS eſt Ioannis Eckij, Homel. 1. Dominicæ poſt Chriſti Natalem, ſuper illis verbis Lucæ 2. *Et benedixit illis Simeon*, vbi dicit ſic: Et quod ad benedictionem attinet, crediderim ego illam fuiſſe, de qua Num. ca. 6. ſic habetur. *Loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere Aaron etc.* vt infrà Cõcl. 4. Arg. 5. & ſtatim addit: Magnũ verò eſt, quod non abiecti nominis quidã ex Rabbinis Iudęorũ Moyſes Maimonis, in libro More dicit, Sacerdotes benedictione hac vſos, vſque ad Simeonem Iuſtum, nec poſt eum amplius. Quæ ſanè fidei noſtræ longè efficaciſsima probatio eſt. Cùm enim ſacerdotium Aaronis, in ſacerdotio Chriſti ceſſarit, Paulo teſte ad Hebræ. 7. & 8. illius quoq; ſacerdotij ceſſauit benedictio, quod idẽ iudicium eſt de indulgentijs.

TERTIA RATIO. Quidquid fuit in Synagoga, & iam nõ eſt: illud ad Eccleſiam tranſlatum eſt. ſed Iubileus & indulgentia fuit in Synagoga, & iam non eſt: ergo Iubileus & indulgentia, ad Eccleſiam tranſlata eſt.

MAIOR vera à ſigno: nam & arbor vna ex horto in hortum trãſfertur. Sic & angelus Marci 16. dicit: *Surrexit non eſt hic, ecce locus vbi poſuerunt eum*, & locum vacuum oſtendit.

MINOR patet ex ſcripturis, quæ citantur in notabili quinto, tum ex ſuprà dictis. Patet item ad ſenſum: quia Iudæi nullum habent ſacerdotium: igitur nullam indulgentiam; quia ſunt hæc inſeparabilia,

ſacer-

ſacerdotium, lex, ſacrificium, altare, benedictio, & indulgentia, vt ſuprà oſtenſum eſt ex ſententia Patrum: vacuum eſt apud Iudæos, vt dictum eſt in Notabili quinto, cap. 3.

QVARTA RATIO. A quacunque gente regnum aufertur, ab eadem & libertas ſimul aufertur. ſed à gente Iudæorum ablatum eſt regnum: ergo à gente Iudæorum ablata libertas ſimul, & per conſequens à Synagoga Iudæorum ablata eſt eadem opera & indulgentia, & tranſlata ad Eccleſiam Catholicam.

Maior vera à Conſequentibus. Item, à ſigno exteriori ad ſignatum interius.

Minor, Matth. 21. Legiſlator & Saluator noſter Chriſtus Dominus dicit: *Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

QVINTA RATIO. Fides ex Synagoga ad Eccleſiam Catholicam eſt tranſlata: igitur & indulgentiæ.

Conseqventia, à proprio fundamento ad ſuum fundatum.

Antecedens, ad Hebræ. 10. & eſt D. Gregorij Magni, ſanctorum Patrum, vt patet Concluſione. 2. Coroll. 3.

SEXTA RATIO. Vbicunque eſt populus Dei, & regnum Dei, ibi eſt benedictio Domini, & indulgentia. ſed in Eccleſia Catholica eſt populus Dei, & regnum Dei: ergo in Eccleſia Catholica eſt benedictio Domini & Indulgentia. & per conſequẽs, Indulgentia eſt tranſlata ex Synagoga ad Eccleſiam.

Maior vera, quia ſcriptum eſt Pſal 3. *Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.*

Minor 1. Pet. cap. 2. Iudæi non credunt, in quo & poſiti ſunt: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Item, Exodi 19. ad illum populum dictum eſt à Domino. *Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Item, ad Coloſs. cap. 1. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.* Item, 1. Ioan. 3.

SEPTIMA RATIO. Chriſtus in cruce ad ſe traxit omnia: ergo & indulgentias, & per conſequens tranſtulit ad Eccleſiam.

Con-

CONSEQVENTIA, à genere ad ſpeciem.

ANTECEDENS, Ioan. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.*

OCTAVA RATIO. Quæcunque Chriſtus claudit, nemo aperit: & quæcunque aperit, nemo claudit. ſed Chriſtus indulgentias Synagogæ clauſit, & Eccleſiæ eadem opera aperuit: ergo in Eccleſia Catholica ſunt indulgentiæ.

MAIOR eſt Apocal. 3. *Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit.*

MINOR Patet ad ſenſum: qùia clauſum eſt Synagogę ſacerdotium, lex, &c. ergo & indulgentiæ: & patet latius in Notabili Quinto ca. 3.

De primo puncto Concluſionis primæ,

eſt controuerſia inter Hæreticos: Nam Ebion & Cherintus, dicunt veterem legem iuxta omnia præcepta illius, cum nouà lege ſimul ſeruandam eſſe.

Hanc hæreſim tutati ſunt etiam Samſæi & Elceſſæi, qui Ebionitarum dogma in vniuerſum amplexati ſunt. Iſtos omnes, & iſtorum ſimiles, beatus Paulus Apoſtolus ſcribens ad Galatas, qui eodem errore fuerunt infecti, ad Galatas cap. 3. redarguit dicens: *Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eandem fidem, quæ reuelanda erat. Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.* Et iterum ad Galat. cap. 4. de duobus Teſtamentis loquens, ſub Allegoria duorum filiorum Abrahæ, ait: *Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum; ita & nunc: ſed quid dicit ſcriptura? Eijce ancillam, et filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio liberæ. Itaq; fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit.*

CONTRA MANICHAEI, Veterem legem non ſolùm non ſeruandam, ſed ſimpliciter reiiciendam tanquam malam. Hanc hęreſim tutati ſunt Cerdon, Marcion, & Caiani: Iſtos omnes & iſtorum ſimiles refutat Beatus Paulus Apoſtolus ad Romanos cap. 7. dicens: *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit: Sed peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat: Ego autem viuebam ſine lege ali-*

ge aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem: nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Itaq; lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

Eandem Hæreſim Manichæi, refutant multi ſancti Patres: ſed præcipuè Diuus Auguſtinus.

IAM IGITVR CIRCA PVNCTVM PRIMVM, Concluſionis primæ, meritò dubitari, & quæri poteſt: Vtrum tota lex vetus, omninò ſit euacuata, abrogata, deſtructa, & funditus ſublata: an aliquid remaneat ex lege?

Et videtur quòd vetus lex non omninò eſt ſublata, abrogata, & deſtructa: quia ſcriptum eſt, Math. cap. 5. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Vnde ad Roman. cap. 2. *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neq; quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*

Atque hoc ipſum pluribus rationibus confirmatur.

PRIMA RATIO. Nulla lex continens in ſe ſanctum nomen Domini Dei, debet ſolui, & deſtrui. ſed tota lex vetus cum Prophetis continet in ſe ſanctum nomen Domini Dei: igitur nulla lex vetus debet ſolui vel deſtrui.

MAIOR vera. Pſalm. 71. *Ante ſolem permanet nomen eius.* Item, Pſalm. 134. *Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in generationem & generationem.*

MINOR, eſt Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum. &c.*

SECVNDA RATIO. Nullum bonum iuſtum & ſanctum corrumpendum, neque deſtruendum. ſed lex vetus, cum prophetis bona iuſta, & ſancta: igitur lex vetus cum prophetis neq; corrumpenda, neque deſtruenda.

MAIOR vera MINOR, Pſalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Item ad Rom. 7. *Itaq; lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.* Item 1. ad Timoth. cap. 1. *Scimus autem, quia bona eſt*

lex, ſi

lex, ſi quis ea legittimè vtatur: ſciens hoc, quia lex iuſto non eſt poſita; ſed iniuſtis & non ſubditis.

TERTIA RATIO. Quidquid nos manu ducit ad Chriſtũ, bonum eſt. ſed lex vetus nos manu ducit ad Chriſtum: ergo lex vetus eſt bona.

MAIOR vera: nam quod nos abducit, & retrahit à Chriſto, malũ eſt.

MINOR, eſt Apoſtoli ad Galat. 3. Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. Si ergo lex fuit noſter pædagogus in Chriſto, videamus quò nos ducit: & duxit nos lex ad fidem Chriſti. Si ergo fides Chriſti eſt bona; non eſt poſsibile, quin lex vetus, quæ ad illum duxit, fuerit bona.

SED CONTRA eſt, quod Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 3. dicit: *Lex euacuatur in Chriſto*, hoc eſt, tanquam vmbra in luce. Item, ad Galat. cap. 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe; quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Euacuati eſtis à Chriſto: qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur.*

Item, ad Hebræ. cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem.*

Atque hoc ipſum ratione confirmatur tali.

Quidquid antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt. ſed lex Moyſi & cum prophetis antiquatur & ſeneſcit: ergo lex Moyſi cum prophetis propè interitum eſt: & per conſequens, deſtruitur & deſtructa eſt.

MAIOR, eſt Apoſtoli ad Hebræ. cap. 8. MINOR ibidem.

SOLVITVR. Negatur conſequentia: nam lex antiquatur, & ſeneſcit in litera, ſecundùm quam occidit: ſed viuit in ſpiritu, ſecundùm quem viuificat. 2. Corinth. 3. &c.

Porrò, ad illam authoritatem ſcripturę ad Hebræ. cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.* D. Thomas ſuper ijsdem Apoſtoli verbis, dicit ſic: *Notum eſt, quòd vetus teſtamentum fuit ſecundùm legem carnalis mandati, & introducitur aliud.* Ergo primum mutatur. Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit, quòd ſit prioris mandati reprobatio. Sed contrà. Non reprobatur niſi malum, Iſaiæ 11. *Vt ſciat reprobare malum.* Illud autem mandatum non eſt

non eſt malum,ad Rom. 7. *Lex quidem ſancta,& mandatum ſanctum,et iuſtum, & bonum.* Reſpondeo, dicendum eſt,quòd non erat malum ſecundùm ſe; ſed vt inconueniens tempori:non enim ſeruanda ſunt in nouo ſacerdotio, quæ fuerunt in antiquo. Pſalm. 39. *Holocauſta & pro peccato nonpoſtulaſti,tunc dixi,Ecce venio.* Et ideò,dicitur quòd illud reprobatur:& hoc,propter infirmitatem & inutilitatem. Illud autem dicitur infirmum, quod non poteſt exequi effectum ſuum: proprius autem effectus legis & ſacerdotij, eſt iuſtificare: hoc autem lex non potuit facere,ad Rom. 8. Nam quod erat impoſsibile legi,in quo infirmabatur ſecundùm carnem, ad Gal. 4. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa,quibus denuò vultis ſeruire?* Item, inutile dicitur, quod non valet ad finem conſequendum: hoc autem non poteſt lex: quia non adducebat ad beatitudinem, quæ finis eſt hominis; ſed tamen ſuo tempore fuit vtilis, in quantum diſponebat ad finem, vt dicitur ad Hebræ. 11. *Iuxta fidem omnes defuncti ſunt, non acceptis repromiſsionibus.* Quare autem ſit infirmum & inutile, oſtendit cùm dicit: *Nihil enim ad perfectionem,* nec ſcilicet iuſtitiæ, nec patriæ adduxit. Vnde erat imperfecta; ſed perfecta fuit per Chriſtum.

CAETERVM PRO SOLVTIONE HVIVS QVAESTIONIS,recurrendum eſt ad Patres, & interrogandum, quid de ea re ſentiant.

D. AVGVSTINVS lib. 1. de Moribus Eccleſię Catholicæ cap. 28. dicit: *In his duobus Deus ipſe, cuius bonitate atq; clementia fit omninò vt aliquid ſimus,duobus teſtamentis,vetere & nouo,diſciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim vtrumque in vtroque ſit; præualet tamen in vetere timor, amor in nouo: quia ibi ſeruitus,hîc libertas ab Apoſtolis prædicatur. De quorum teſtamentorum admirabili quodam ordine, diuinoq; concentu longiſsimùm eſt dicere, & multi religioſi doctiq; dixerunt: multos libros res iſta flagitat; vt pro merito, quantum ab homine poteſt, explicari & prædicari queat. Qui ergo diligit proximum, agit quantum poteſt; vt ſanus corpore, ſanusq; animo ſit: ſed cum corporis ad ſanitatem animæ referenda eſt.* Idem D. Auguſtinus, contra duas Epiſtolas Pelagianorũ, ad Bonifacium lib. 3. cap. 4. &c. *Et vetus igitur teſtamentum Deus condidit: quia Deo placuit, vſque ad plenitudinem temporis,promiſsis terrenis, tanquam in premio conſtitutis, promiſſa velare cæleſtia: & populo terrenis bonis inhianti, & propterea durum cor habenti, quamuis ſpiritualem, tamen in tabulis lapideis legem date; exceptis quippe librorum veterum ſacramentis, quæ ſola ſignificandi ratione præcepta ſunt, quanquam & in eis ſpiritualiter intelligenda ſunt, rectè lex dicitur ſpiritualis. Cætera certè, quæ ad pietatem bonosq; mores pertinent, non ad aliquam ſignificationem vlla interpretatione referenda; ſed prorſus, vt ſunt dicta, facienda ſunt.*

Profectò, illam Dei legem, non ſolùm illi tunc populo, verùmetiam nunc nobis ad inſtituendam rectè vitam neceſſariam nemo dubitauerit. Si enim Chriſtus nobis abſtulit illud grauiſſimum multarum obſeruationum iugum: ne carnaliter circumcidamur: ne pecorum victimas immolemus: ne ſabbatho ſepteno dierum volumine redeunte, ab operibus etiam neceſſarijs quieſcamus, & cætera huiuſmodi; ſed ea ſpiritualiter intellecta teneamus, remotisq; vmbris ſignificantibus, in rerum ipſarum, quæ ſignificantur, luce vigilemus. Numquid propterea dicturi ſumus, non ad nos pertinere, quod ſcriptum eſt, vt alienum quodcunque perditum quisque inuenerit, reddat ei, qui perdidit, & alia multa ſimilia, quibus piè rectèq; viuere diſcitur, maximèq; ipſum Decalogum, qui duabus illis lapideis tabulis continetur, excepta ſabbathi obſeruatione carnali, quæ ſpiritualem ſanctificationem, quietemq; ſignificat? Quis enim dicat non debere obſeruare Chriſtianos, vt vni Deo religionis obſequio ſeruiatur: vt idolum non colatur: vt nomen Domini non accipiatur in vanum: vt parentes honorentur: ne adulteria, homicidia, furta, falſa teſtimonia perpetrentur: ne vxor, ne omninò res vlla concupiſcatur aliena? Quis eſt tam impius, qui dicat, Ideò ſe iſta legis non cuſtodire præcepta; quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus? Verùm hæc planè magna diſtantia eſt, quod faciunt iſta ſub lege poſiti, quos litera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditatem adipiſcendi, vel timore amittendi: & ideò non verè faciunt: quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum augetur, cupiditate alia non ſanatur. Hi ad vetus pertinent teſtamentum, quod in ſeruitutem generat: quia facit eos carnalis timor, & cupiditas ſeruos; non euangelica fides, ſpes, charitas, liberos. Sub gratia verò poſiti, quos viuificat Spiritus, & fide iſta faciunt, quæ per dilectionem operatur in ſpe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium: non terrenorum, ſed cæleſtium: non temporalium, ſed æternorum, præcipuè credentes in mediatorem, per quem ſibi non dubitant & ſpiritum gratiæ ſubminiſtrari, vt benè iſta faciant, & ignoſci poſſe cùm peccant. Hi pertinent ad teſtamentum nouum, filij promiſſionis, & regenerati à Deo patre, & libera matre. Huius generis fuerunt antiqui omnes iuſti, & ipſe Moyſes teſtamenti miniſter veteris, hæres noui: quia ex fide, qua nos viuimus, vna eademq; vixerunt, incarnationem, paſſionem, reſurrectionemq; Chriſti credentes futuram, quam nos credimus factam, vſque ad ipſum Ioannem Baptiſtam, tanquam præteritæ diſpenſationis limitem quendam: qui mediatorem ipſum non aliqua vmbra futuri, vel allegorica ſignificatione, nec vlla prophetica prænunciatione venturum eſſe ſignificans; ſed digito demonſtrans, ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Tanquam dicens: quem multi iuſti videre concupierunt: in quem venturum ab ipſius humani generis initiò crediderunt: de quo Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones: de

nes: de quo ſcripſit Moyſes, de quo lex & prophetæ ſunt teſtes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ab hoc Ioanne, & deinceps cœperunt de Chriſto fieri præterita velut præſentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis iuſtis credebantur, ſperabantur, deſiderabantur futura. Eadem igitur fides & in illis, qui nondum nomine, ſed re ipſa antea fuerunt Chriſtiani: & in iſtis, qui non ſolùm ſunt, verùmetiam vocantur: & in vtriſq; eadem gratia per Spiritum ſanctum. Vnde dicit Apoſtolus 2. ad Corint. 4. Habentes autem eundem Spiritum fidei, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Pſal. 115. Credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Aliter itaq; dicitur, iam obtinente loquendi conſuetudine, vetus teſtamentũ, lex et prophetæ omnes, qui vſq; ad Ioannem prophetauerunt; quòd diſtinctiùs vetus inſtrumentum, quàm vetus teſtamentum vocatur: aliter autem, ſicut Apoſtolica appellat authoritas, ſiue hoc nomen exprimens, ſiue ſignificans: exprimit enim vbi dicit: 2. ad Corinth. 2. vſque in hodiernum diem, quàm diu legitur Moyſes idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet, quod non reuelatur; quia in Chriſto euacuatur: ſic enim vtique vetus teſtamentum ad Moyſi retulit miniſterium. &c. Cætera vide apud Diuum Auguſtinum.

NOTANDVM SECVNDÒ: quia lex & Euangelium inter ſe conueniunt & differunt. D. Thomas ſuper cap. 4. ad Galatas Lect. 6. dicit: *Apoſtolus ponit vnum, in quo lex & Euangelium conueniunt: & duo, in quibus differunt.* CONVENIVNT *quidem in vno Patre: vnde Apoſtolus dicit: Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit: Habuit etiam alios quàm iſtos duos filios: quia poſt mortem Saræ, alios genuit de Cethura, vt dicitur Gen. 25. de quibus mentionem non fecit Apoſtolus: quia non pertinent ad hanc ſignificationem. Poſſunt tamen per iſtos duos, ſcilicet, filium ancillæ, & filium liberæ, duo populi, ſcilicet, Iudæorum & Gentium deſignari. Per alios verò filios Cethuræ, Schiſmatici & Hæretici. Qui quidem duo populi conueniunt in vno patre: quia Iudæi filij ſunt Abrahæ ſecundùm carnem: Gentiles verò ſecundùm imitationem fidei: vel ſunt filij Abraham, id eſt Dei, qui eſt Pater omnium*, Malach. 2. *Nonne Deus pater omnium, &c. & ad Roma. 3. An Iudæorum tantùm Deus? & cæt.*

DIFFERVNT *autem in duobus, ſcilicet in conditione matris: quia vnus eſt de ancilla, vt dicitur Gene. 21. Nec tamen peccauit Abraham, ad eam accedens: quia acceſſit ad eam coniugis affectu, & ordinatione diuina. Alius autem eſt de libera, ſcilicet Iſaac, quem genuit ei Sara, vxor ſua: Gene. 18. Veniam ad te tempore iſto, vita comite, & Sara vxor tua, &c. Item, differunt in modo generationis: quia, qui de ancilla, ſcilicet Iſmaël, ſecundùm carnem natus eſt: qui autem de libera, ſcilicet Iſaac, per repromiſſionem:*

onem. Sed vitandus eſt hic duplex falſus intellectus: vnus, ne intelligatur per hoc, quòd dicit, Secundùm carnem natus eſt; vt accipiatur hic caro pro actu peccati, ſecundùm illud ad Roma. 8. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, &c. 2. Corint. 10. *In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus, quaſi Abraham peccante natus ſit Iſmaël. Alius intellectus, vt per hoc, quòd dicitur, Per repromiſſionem, credatur, Iſaac nō ſecundùm carnem natus, id eſt, Secundùm carnalem commixtionem; ſed per Spiritum ſanctum. Eſt ergo dicendum, quòd ſecundùm carnem, id eſt, ſecundùm naturam carnis natus eſt Iſmaël: nam naturale eſt in hominibus, quòd ex muliere iuuencula fœcunda, ſicut erat Agar, & Sene naſcatur filius: & quòd per repromiſſionem, id eſt, ſuprà naturam carnis, natus eſt Iſaac. Non enim ad hoc ſe extendit natura carnis, vt ex viro ſene, & vetula ſterili, ſicut fuit Sara filius naſcatur.*

Non licet igitur, non decet hominem Catholicum neſcire, quantum diſtent æra lupinis: & quantum differat Euangelium Chriſti, à lege Moyſi.

ITEM NOTANDVM, quia Sancti Apoſtoli dicuntur ſeruaſſe legalia. vnde D. Thomas ſuper cap. 5. ad Galat. Lect. 1. *Iugum legis nociuum & oneroſum. Nociuum quidem eſt iugum legis: quia aufert Dominicæ paſſionis effectum, & ideò dicit Apoſtolus:* NOLITE CONTINERI IVGO SERVITVTIS: *quia ecce ego Paulus, qui, ſupple, voce authoritatis dico, & benè: quoniam ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit, id eſt fides Chriſti.* Sed contrà Actorum 14. dicitur, quòd Paulus circumcidit Timotheum: ergo fecit, quòd Chriſtus ei nihil prodeſſet, ergo decepit eum. Reſpondeo, dicendum eſt ſecundùm Hieronymum, quòd Paulus non circumcidit Timotheum, quaſi legem ſeruare intenderit: ſed ſimulauit ſe circumcidere faciendo opus circūciſionis. Nam ſecundùm ipſum, Apoſtoli ſimulatoriè ſeruabant legalia, ad vitandum ſcandalum fidelium ex Iudæis. Faciebant autem actus legalium, non tamen cum intentione ſeruandi legalia, & ſic nō exibant à fide, vnde non decepit Timotheum.

Secundùm verò AVGVSTINVM dicendum eſt, quòd Apoſtoli ſecundùm veritatem ſeruabant legalia, & cum intentione ea ſeruandi: quia ſecundùm Apoſtolorum ſententiam, licebat fidelibus ex Iudæis illo tempore ſcilicet, ante gratiam diuulgatam, ipſa ſeruare. Et ideò, quia Timotheus fuit ex matre Iudæa, circumcidit eum Apoſtolus, cum intentione ſeruandi legalia. Quia verò Galathæ ponebant ſpem in legalibus, poſt gratiam diuulgatam, quaſi ſine eis gratia non ſufficeret ad ſalutē, & ideò ea ſeruare volebant: ideò dicit eis Apoſtolus: *Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Sequebatur enim ex

hoc

hoc, quòd non reputarent Chriſtum, in cuius ſignum data fuit circumciſio. Geneſ.17. Vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos, &c. Qui ergo circumcidebantur, credebant adhuc ſignum durare, & tunc ſignatum nondum veniſſe, & ſic excidebant à Chriſto. Sic ergo patet onus legis eſſe nociuum.

TERTIÒ NOTANDVM, quia ſcriptum eſt, Deute. cap. 6. *Hæc ſunt præcepta & cæremoniæ, atq; iudicia.* Sunt igitur triplicia præcepta in lege, ſcilicet, Moralia, Cæremonialia, & Iudicialia: D. Thomas 1. 2. quæ. 99. Arti. 4. *Præcepta autem Antonomaſticè dicuntur Moralia, ſub quibus continetur Decalogus in tabulis lapideis ſcriptus: in ſignum: quia moralia præcepta non mutantur, præter tertium præceptum de Sabbatho. Cæremonialia, quæ tantùm hiſtoricè durabant ad paſſionem Chriſti: ſed mortua deinceps, mortifera verò poſt diuulgationem Euangelij* 1. 2. quæ. 103. Arti. 3. *Præcepta Iudicialia poſt Chriſtum non obligant, nec ſeruans ea peccat: niſi ſeruet, vt obligatus ex lege* 1. 2. quæ. 104. Arti. 3. *Hæc præcepta Iudicialia communicant in aliquo cum Moralibus, & in aliquo cum Cæremonialibus* 1. 2. quæ. 99. Arti. 4. Vnde patet, quia indulgentiæ pertinent ad clauem iuriſdictionis, magis quodammodo ex iudicialibus, quàm ex cæremonialibus præceptis videntur deſumptę.

ITEM NOTANDVM, Quia S. Hieronymus ſuper cap. 4. ad Galat. ſuper illis verbis Apoſtoli: *Vnum quidem in monte Sina, in ſeruitutem generans*, dicit ſic: *Iudæi, metu præſentium cogebantur, vt feræ: nos verò præmiis inuitamur vt liberi. & illi quaſi ſerui præter moralia præcepta, etiam diuerſis operibus premebantur: nobis autem quaſi filiis moralibus mo nitis adimpletis, ſeruilia onera auferuntur. ſed illi ſacerdotibus ſuis ex debito ſeruientes, tributa etiam reddere cogebantur: nos præter charitatem nihil debentes, antiſtites noſtros voluntariè honoramus.*

Ad decidendam igitur Controuerſiam huius primi puncti de lege, ponamus Concluſiones & Corollaria.

CONCLVSIO PRIMA.

INter Ebionem, Cherintum, & Manichæum, tanquam inter extremos ſcopulos Scyllam, & Charybdim, horribilia monſtra in mari, Sancta mater Eccleſia Catholica, tenendo viam mediam, ad portum ſecura nauigat aura.

Veritas huius Concluſionis ex ventilatione Quæſtionis eiuſdem de lege patet.

COROLLARIVM PRIMVM.

Ebionem & Cherintum, Euangelij iuſtitiæ, & veritatis, & fide Catholicæ hoſtes, Sanctus Petrus Apoſtolus iuſto decreto damnauit, Actorum cap. 15.

PROBATVR Corollarium, authoritate Scripturæ, Act. vti ſuprà. *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderũt dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoq; ſeruare legem Moyſi. Conueneruntq; Apoſtoli & ſeniores, videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus, per os meum audire gentes, verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; nos, neq; patres noſtri, portare potuimus? ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluari, quemadmodum & illi.*

COROLLARIVM SECVNDVM.

Similiter Sanctus Paulus Apoſtolus ad Galat. cap. 1. dicens: *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, præter id, quod accepiſtis, anathema, anathema ſit.*

COROLLARIVM TERTIVM.

Manichæum aduerſarium legis, & antiquum veteris teſtamenti hoſtem, Sacroſanctum Concilium Triden. Seſsio. 4. Generali decreto damnauit dicens: *Si quis autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis, non ſuſceperit, & traditiones prædictas, ſciens & prudens contempſerit; anathema ſit.*

CONCLVSIO SECVNDA.

Scimus autem, quia bona eſt lex, ſi quis ea legittimè vtatur: ſciens hoc, quia lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, impiis & peccatoribus, 1. ad Thimo. 1.

Veritas Concluſionis huius patet Notabili Primo eiuſdem Controuerſiæ de lege.

Item,

Item, probatur authoritate ſcripturæ, ad Roma. cap. 7. Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum: ſed contingit, quòd aliquis homo vtatur malè. Cùm ergo lex ſit bona, requiritur, quòd homo benè ea vtatur. Data eſt ergo lex, vt cognoſcatur peccatum: ad Roma. 7. *Quia concupiſcentiam neſciui peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces.*

Corollarivm primvm.

Legittimè vtitur lege, qui intelligens, quare ſit data per eius comminationem confugit ad gratiam liberantem. Ratio Corollarij eſt: quia prudens, vbi videt comminationem, occurit ſtatim, ne incidat in pœnam aut verbera.

Corollarivm secvndvm.

Qui ſecluſa lege paratus eſt facere, quæ lex eſſet præceptura; hic non opus habet lege. Probatio Corollarij patet Notabili ſecundo.

Pro maiori euidentia Corollarij, ſciendum eſt, quia Doctor ſanctus ſuper primæ ad Timot. cap. 1. lectio. 3. dicit: *Intentio bonorum debet eſſe, vt alios inducant ad virtutes. Quidam autem per ſe, ſunt benè diſpoſiti ad virtutes: alij habent mentem benè diſpoſitam, ſed per alium: et de iſtis ſufficit paterna monitio non coactiua. Alij autem nec per ſe, nec per alium benè diſponuntur; ideò eis omninò neceſſaria eſt lex, vt patet in Ethicis.*

Corollarivm tertivm.

Quanquam iuſtus, non indigeat lege: Sancta tamen, iuſta, & bona eſt lex, per quam mali cohibentur, & arcentur à peccatis, & vrgentur ad emendationem cõmiſſorum, ad Roma. 7. Probatio Corollarij patet ex probatione præcedentis.

CONCLVSIO TERTIA.

Vetus lex non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid euacuatur, & ſecundùm quid remanet: euacuatur quidem in ſigno, ſed permanet in ſignato: quia veritas Domini manet in æternum, Pſalm. 116.

Veritas Concluſionis, patet Notabili primo.

Item, probatur authoritate ſcripturę, ad Rom. 7. Lex ſpiritualis eſt.

Corollarivm primvm.

 Lex

Lex vetus ita euacuatur, vt proficiat, ſicut infantia euacuatur in iuuentute, & ſemen in fructu. Probatur Corollarium in principali Concluſione prima: Et eſt expreſſe apud Anſelmum Cantuarienſem ſuper 2. ad Corint. 3.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Moralia legis præcepta manent, ſed ita, prout ab Eccleſia Catholica traduntur. Probatur Corollarium, Notabili primo, & tertio.

COROLLARIVM TERTIVM.

Cæremonialia legis præcepta, quæ tantum hiſtoricè durabant, ad paſsionem Chriſti: ſed mortua deinceps, mortifera verò poſt diuulgationem Euangelij. Corollarij probatio, patet Notabili primo, & tertio.

COROLLARIVM QVARTVM.

Iudicialia legis præcepta, poſt Chriſtum non obligant: nec ſeruans ea peccat, niſi ſeruet vt obligatus ex lege. Probatur Corollarium Notabili 3.

COROLLARIVM QVINTVM.

Præcepta iudicialia, communicant in aliquo cum moralibus, & in aliquo cum cæremonialibus. Corollarij probatio patet Notabili tertio.

COROLLARIVM SEXTVM.

Indulgentiæ, quia principaliter pertinent ad clauem iuriſdictionis, magis ex iudicialibus, quàm ex cæremonialibus præceptis videntur deſumptæ. Probatio Corollarij ex ſupradictis, & Notabili. 3. patet.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Neque lex, neque iuſtitia ex lege, ſed verbum & promiſsio Dei, & fides, quæ per charitatem operatur, conciliat homini apud Deum gratiam & indulgentiam. Hoc Corollarium B. Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos & Galatas ſufficienter probat.

COROLLARIVM OCTAVVM.

Quæſtio cum ſuis Concluſionibus & Corollariis, ex Sacra ſcriptura propoſita, & ſecundùm ſenſum, & conſenſum Eccleſiæ Catholicę determinata, eſt vera, & ideo concedenda. Et hæc de primo Concluſionis primæ puncto.

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM PVNCTVM, probatur Concluſio Notabili 5. cap. 3.

Item, probatur authoritate ſcripturæ, Ioan. cap. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

Item, probatur authoritate Bullæ Pii Quarti, ſuper forma iuramenti profeſsionis fidei, vbi expreſſe eſt ſcriptum: Credo & affirmo indulgentiarum poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe: Lege in S. Concilio Tridentino.

QVANTVM AD TERTIVM PVNCTVM, probatur Concluſio Notabili quarto, cap. 1.

Item, probatur authoritate ſcripturæ, Ioan. cap. 4. *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ, ſalientis in vitam æternam.*

Item, probatur authoritate Bullæ Pii Quarti, ſuper formam iuramenti profeſsionis fidei, vbi expreſsè ſcriptum eſt: Credo & affirmo indulgentiarum vſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe.

COROLLARIVM PRIMVM.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quia Meſsias legiſlator & mediator Dominus noſter Ieſus Chriſtus, indulgentias vnâ cum ſacerdotio, lege, ſacrificio, & benedictione, ex Synagoga ad Eccleſiam tranſtulit, reformauit, & perfecit.

Probatio Corollarij patet ex Concluſione prima.

Item, patet ex Notabili 1. cap. 3. & Notabili 2. cap. 2.

REFORMAVIT. Hanc reformationem B. Hieronymus interpretatur ſuper Iſa. cap. 58. vt annotatum eſt Notabili 7. cap. 4. quia omnia quæ bona ſunt duplicantur in Euangelio, iuxta illud Lu. ca. 6. *Menſurām bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

COROLLARIVM. SECVNDVM.

Indulgentiæ ſunt de fide: quia ad decimum articulum fidei, *Credo remiſsionem peccatorum*, reducuntur.

Probatio Corollarij poſita eſt Notabili 7. cap. 1.

Item, probatur authoritate ſcripturę, Matth. cap. 9. vbi eadem verba Chriſti bis leguntur: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Item, probatur Bulla Pij Papæ IIII. ſuper forma iuramenti profeſsionis fidei. Item, Quamuis principia, & articuli fidei, apud Catholicos non probantur: quia non egent probationis: nam ſimpliciter cre-

ter creduntur: tamen propter hæreticos poſſunt probari. Itaque Corollarium rationibus probatur.

PRIMA RATIO. Articuli fidei ſunt principia, & creduntur: igitur & Indulgentiæ principia, quæ credi debent.

CONSEQVENTIA à toto ad partem.

ANTECEDENS, eſt omnium Scholaſticorum, & Catholicorum, & Diui Hieronymi, vt dictum eſt Notabili 6. cap. 2.

SECVNDA RATIO. Neceſſe eſt Chriſtianum credere Euangelio: ergo & indulgentijs.

CONSEQVENTIA, à genere ad ſpeciem, ſiue toto ad partem.

ANTECEDENS, Matth. 28. Marci 16. Lucæ 24. Item, Marci. 1. *Pœnitimini, & credite Euangelio.* Item, Ioan. 3. *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt.*

TERTIA RATIO. Neceſſe eſt Chriſtianum peccatorem media iuſtificationis, credere & tenere: igitur & indulgentias.

CONSEQVENTIA, à genere ad ſpeciem.

ANTECEDENS. Pſalm. 118. *Longè à peccatoribus ſalus: quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.*

COROLLARIVM TERTIVM

Sicut ſine fide impoſsibile eſt placere Deo; ita ſine fide impoſsibile eſt conſequi Indulgentiam, & remiſsionem peccatorum: quia Chriſtus Dominus Matth. 9. dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Huius Corollarij probatio, patet ex Notabili præcedenti Corollario poſito.

D. HIERONYMVS ſuper cap. 5. ad Gala. ſuper illis verbis Apoſtoli: *Sed fides quæ per charitatem operatur: Ergo & fides*, inquit, *operatur per charitatem, non per timorem: qui enim credit Deo, attendit mandatis: nam qui credit futuris, amplius operatur, quàm qui præſentem metuit pœnã.*

Item, ANSELMVS CANTVARIEN. ſuper ijsdem verbis Apoſtoli dicit ſic: *Nam ſiue circumciſus, ſiue præputiatus ſit quiſquam; non propter hoc aut dignior, aut vilior eſt in Chriſtiana religione; ſed ſola fides eſt ibi magnæ dignitatis, & fides quæ per charitatem operatur, id eſt, non mortua, ſed viua. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt: nec fides veteris teſtamenti ſeruiens ex timore: ſed fides euangelica, faciens ex charitate opera bona: non expectans temporalem retributionem; ſed videndam perpetuò creatoris faciem. Hæc eſt fides electorum, quæ*

rum, quæ perducit ad ſalutem: nam & dæmones credunt, & contremiſcunt; non tamen diligunt, nec benè operantur. Et ideò fides, quæ non habet charitatem, & opera bona, fides dæmonum eſt, non Chriſtianorum. Illa ergo ſola fides, quæ charitate flagrat, et bonis operibus inſudat, valet in Chriſto Ieſu.
Sed poteſt etiam rationibus confirmari.

PRIMA RATIO. Sine quo nemini vnquam datur indulgentia, illud ad conſequendam inprimis eſt neceſſarium. ſed ſine fide nemini vnquam in Eccleſia datur indulgentia: igitur ad conſequendam indulgentiam fides eſt neceſſaria.

MAIOR vera à definitione.
MINOR, eſt Apoſtoli ad Hebræ. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Porrò, qui vult obtinere Indulgentiam, debet laborare ſic, vt placeat Deo.

SECVNDA RATIO. Quo placatur Deus, illud ad indulgentiam eſt neceſſarium. ſed fide placatur Deus: ergo fides ad indulgentiam eſt neceſſaria, & per conſequens impoſsibile eſt ſine fide obtinere indulgentiam.

MAIOR vera. MINOR. Mat. 15. Chananęa mulier pro exemplo.
NOTA: quia ſecundùm doctrinam, & conſilium M. T. Ciceronis in Oratione pro lege Manilia, homini timidè de poteſtate Dei, & pauca dicenda ſunt: ſed in indulgentiis Eccleſiæ Catholicæ eſt manifeſta poteſtas Dei, quam experientia ad ſenſum cognoſcunt, & confitentur Catholici, homines pii, timentes Deum. Vnde D. Auguſt. in lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 5. *Qui autem multos cæcos, & diuerſo tempore illuminauerit, & multos debiles confortauerit; oſtendit in diuerſis illis eadem ſæpè peccata dimitti; vt quem prius ſanauit leproſum, alio tempore illuminauit cæcum. Ideò enim tot ſaluauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos; ne deſperet de ſe peccator. Ideò non ſcribitur aliquis niſi ſemel ſanatus; vt timeat quiſq; iungi peccato. Videmus adhuc quotidie in Eccleſia ſæpè febricitantes, ſæpè languidos, ſæpè paßionibus captos, ſæpè liberari; vt appareat totiens opus miſerantis, quotiens confeßio fit pœnitentis. Quomodo enim corpus quod vilius eſt, & ab ipſo diſsimilius ſæpè ſeruat, & animam digniorem, & redemptam non totiens liberaret? Medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? Medicorum enim eſt centies infirmum viſitare, centies curare: qui cæteris minor eſſet, ſi aliјs poßibilia ignoraret. Memor eſt ſui, qui dicit: Nolo mortem*

mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Quem enim peccatorem excludit? Et quòd omnibus promiſit indulgentiam, aliis promiſſionibus declarat: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, id eſt, omnis, quantumcunq; & quotienſcunq; peccator, cuiuscunq; ordinis, etiam ſi fuerit ſacerdos, confitebor & ego eum coram patre meo. Nam qui inuocauerit nomen Domini, Ioël. 2. *id eſt, ſecundùm quod nominatur Dominus, id eſt, qui inuocauerit eum ad ſe ſeruiendo, non contradicendo, vt forſitan ſæpè fecit. Omnis, id eſt, quicunq; ſit ille peccator, ſaluus erit. Omnem enim animam iſte promiſſor ſatumuit bonis, etiam ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis, nullam excipiens animam.* Hæc D. Auguſtinus. Item ibidem, cap. 5. *Sic ſacerdos & timeat peccare, ſed magis timeat deſperare.* Ex ſupradictis patet, quia homini timidè de indulgentiis Eccleſiæ Catholicæ & pauca dicenda ſunt. Mala ergo & impia conſuetudo eſt, contra Deum, contra fidem, contra Eccleſiam Catholicam, & contra indulgentias diſputandi, ſiue ex animo id fit, ſiue ſimulatè.

COROLLARIVM QVARTVM.

Credendum eſt omnes orationes Eccleſiæ, Eleemoſynas quoque, & opera iuſtitiæ, ſuccurrere recognoſcenti mortem ſuam ad conuerſionem. Verba Corollarii huius ſumpta ſunt ex lib. D. Auguſtini, de vera & falſa pœnitentia, cap. 12. vbi dicit: *Laboret itaq; pœnitens in Eccleſia eſſe, & ad Eccleſiæ vnitatem tendere. Niſi enim vnitas Eccleſiæ ſuccurrat: niſi quod deeſt peccatori, ſua opitulatione compleat: de manibus inimici non eripictur anima mortui. Credendum eſt enim, & pietas fidei poſtulat credere, quòd omnes Eleemoſynæ, totius Eccleſiæ & orationes, & opera iuſtitiæ, & miſericordiæ ſuccurrunt recognoſcenti mortem ſuam, & conuerſionem ſuam.*

CONCLVSIO SECVNDA.

Credendum eſt, Orationibus, Ieiuniis, & Eleemoſynis, proximum à proximo, non ſolùm in Eccleſia; verùmetiam in purgatorio, & præcipuè ſub indulgentia iuuari: atque proximum pro peccatis proximi, Deo adiuuante, ſatisfacere poſſe.

Tria ſunt Concluſionis puncta: PRIMVM PVNCTVM EST. Credendum eſt Orationibus, Ieiuniis, Eleemoſynis, & aliis piis operibus proximum à proximo in Eccleſia Catholica iuuari.

SECVNDVM. Credendum eſt, Orationibus, Ieiuniis, Eleemoſynis, & alijs

& aliis piis operibus, proximum à proximo in Purgatorio iuuari.

TERTIVM. Credendum eſt, Orationibus, Ieiuniis, Eleemoſynis, & aliis piis operibus, proximum pro peccatis proximi, Deo adiuuante ſatisfacere poſſe.

QVANTVM AD PRIMVM PVNCTVM: Probatur Cõcluſionis veritas, Notabili 4. ca. 5. Item patet, quadamtenus ex vltimo Corollario Concluſionis præcedentis: quia proximus oratione proximi, iuuari debet. Item, probatur authoritate ſcripturæ: quia ſcriptum eſt, Iac. cap. 5. Orate pro inuicem vt ſaluemini.

DIONYSIVS Carthuſianus ſuper iiſdem verbis. *Hoc namq; exigit charitas, qua proximorum tenemur deſiderare, & procurare ſalutem, quemadmodum propriam. Oratio quippe deſiderij eſt interpres. Hinc Chriſtus orationem, quam docuit, in plurali formauit: inſinuans, vt pro proximis, ſicut pro nobis ipſis oremus: ita, vt interdum eadem oratio pro ſe, aliisq; fundatur; interdum verò oret quis nunc pro ſe, & ſpecialibus indigentiis ſuis; nunc pro aliis, & præſertim pro communi bono Eccleſiæ, pro reformatione eius in omnibus, pro parentibus, propinquis, comiſſis, & benefactoribus: pro cunctis fidelibus defunctis: pro viuis ac mortuis: pro vniuerſorum ſalute: & infidelium conuerſione. Qui enim pro omnibus orat, particeps eſt omnium bonorum quæ fiunt: & bonum quantò communiùs, tantò diuiniùs perhibetur. Hinc debet vnuſquiſq; orationes aliorum humiliter ac feruenter appetere, & eos vt pro ſe orent, rogare. Quò enim alios humiliùs, atq; feruentiùs, vt pro nobis orent rogamus; eorum capaciores fructus orationis illorum efficimur, potiſſimùm tamen hominum deuotorum & notabiliter virtuoſorum eſt appetenda oratio. Propter quod ſubditur: Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Lyranus. *Confeſſor tenetur orare pro confitente et è conuerſo.* Fecit hoc Apoſtolus S. Paulus, qui ſe commendat orationibus Colloſſenſium, ad Coloſs. cap. 4. *Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes ſimul et pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, ad loquendum myſterium Chriſti. &c.* Item, 1. ad Theſs. cap. 5. *Fratres orate pro nobis.* Item, 2. ad Theſs. 3. *De cætero fratres orate pro nobis, vt ſermo Dei currat, & clarificetur ſicut et apud vos.* Item, ad Hebræ. 13. *Orate pro nobis.* Item, Act. 12. *Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.*

DE IEIVNIO.

Hoc eſt, quia proximus iuuatur & iuuari debet proximi ieiunio.

Probatur authoritate ſcripturæ Matth. cap. 17. Saluator ait: *Hoc autem genus dæmoniorum, non eijcitur niſi per orationem, & ieiunium.* D. Ambroſius ait, de Quadrageſima Sermone 25. *Ait enim Saluator de*

 diabolo:

diabolo: Hoc genus non eijcitur, niſi in ieiunio & orationibus. Dicit vtiq; à diabolo energumenum, non niſi ieiunijs poſſe purgari. Videte ergo quæ ieiunij virtus ſit, quantam homini ſuo præſtet gratiam, quòd tanta præſtet alteri medicinam: quemadmodum proprium ſanctificet hominem, quòd ita purificet alienum: mira enim res eſt, alter ieiunat, & alteri prodeſt ieiunantis vtilitas. etc. Hæc D. Ambroſius.

DE ELEEMOSYNA.

Hoc eſt, quia proximus iuuatur, & iuuari debet, eleemoſyna proximi.

Veritas huius poſitionis patet Notabili 4. cap. 5. Item, patet ex probatione Corollarij vltimi, Concluſionis primæ.

Item, Probatur authoritate ſcripturę Eccleſi. cap. 3. & Luc. cap. 11. *Verùmtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* D. Ambroſius. *Dominus autem quaſi bonus præceptor docuit, quomodo noſtri corporis mundare contagium debeamus, dicens: Verùmtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Vides quanta remedia: mundat nos miſericordia,* & indulgentia: *mundat nos ſermo Dei: iuxta quod ſcriptum eſt, Ioan.* 13. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis.*

D. Auguſtinus de eleemoſyna. *Miſericors monet miſericordiam fieri: & quia ſeruare quærit, quos magno redemit pretio, poſt gratiam baptiſmi ſordidatos, docet denuò poſſe ſeruari.*

D. Chryſoſtomus. *Date eleemoſynam, non iniuſtitiam: eſt enim eleemoſyna, quæ caret iniuſtitia qualibet. Hæc omnia facit munda, & ieiunio eſt præſtantior, quod quamuis ſit laborioſius, illa tamen eſt lucruoſior. Illuſtrat animam, impinguat, bonam efficit, & decoram. Qui cogitat miſereri roganti, citius à peccatis deſiſtet. Sicut enim medicus, qui crebrò vulneratis medetur, frangitur de facili in ærumna aliorum; ſic & nos: ſi vacauerimus ægenorum auxilio, de facili contemnemus præſentia, & in cælum leuabimur. Non paruum eſt igitur eleemoſyna cataplaſma, cum valeat omnibus apponi vulneribus. Si omnibus: ergo & meis, & proximi.*

QVANTVM AD SECVNDVM PVNCTVM, Credendum eſt orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, & alijs pijs operibus, proximum à proximo in purgatorio iuuari, id eſt, proximum in purgatorio patientem, à proximo in Eccleſia viſibili militante.

Veritas huius poſitionis patet Notabili 4. cap. 4. Et probatur authoritate ſcripturæ, 2. Machab. 12. Ioan. 11.

NOTA: quia quot modis meremur nobis ipſis, tot modis poſſumus mereri proximis noſtris in Chriſto defunctis. Proinde ſeptem ſunt modi in ſumma, quibus nos proximos noſtros in purgatorio iuuare poſſumus, quamdiu ſumus in hoc mundo.

PRIMVS

Primvs Modvs, Sacrificium. Eſt autem triplex ſacrificium, oris, cordis, & iuſtitiæ. Hoc prodeſt animabus in purgatorio, propter inæſtimabilem ſuum valorem, & plus quàm diuinam dignitatem, ac propriam excellentiſsimamque virtutem, quæ tanta eſt, vt angelos ipſos lætificet, viuentes iuſtificet, mortuos mirificè iuuat; eos tamen qui ſunt in purgatorio: nam eorum pœnas delet. Et tale eſt inprimis tremendum ſacroſanctum Sacrificium Miſſæ. Vnde Sacrum Concilium Tridentinum, Seſsio. 22. cap. 2. de Sacrificio Miſſæ non tantùm pro viuis, ſed etiam pro defunctis, ſacrificia Miſſæ peragi debere docet his verbis: *Cuius quidem oblationis cruentæ inquam, fructus per hanc Miſſam vberrimi percipiuntur: tantùm abeſt, vt paſſioni Chriſti per Miſſam quouis modo derogetur.*

Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſsitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apoſtolorum traditionem offertur. Idem Sacroſanctum Concilium Tridentinum, Seſsione 25. ſtatim à principio, in Decreto de Purgatorio, ordinat & præcipit ſic: *Curent Epiſcopi, vt fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet, Sacrificia, Orationes, Eleemoſynæ, aliaq; pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta, piè, & deuotè fiant: & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à ſacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris, & aliis qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè perſoluantur.* Benè itaque, iuſtè, & piè faciunt, qui circa ſepulturam ſanctas Miſſas procurant: qui pro ſuis defunctis Triceſimas conducunt, & vtiliter, laudabiliter conducunt: quia non ſolùm nouæ legis, ſed etiam Veteris legis ſacerdotes, ſemper pro defunctis orabant, vt patet Numerorum cap. 16. vbi legitur Aaron pro mortuis oraſſe, & thura obtuliſſe.

Secvndvs modvs eſt, quo nos proximos noſtros in Purgatorio iuuare poſſumus, Oratio Eccleſiæ, & orationes fidelium in communi. *Propterea Iudas Machabæus*, 2. Machab. cap. 12. *duodecim millia drachmas argenteas Hieroſolymam miſit; vt offerrentur ſacrificia, pro defunctorum fratrum, qui in bello ceciderunt, peccatis, piè & religiosè cogitans de mortuis. Sancta igitur eſt cogitatio & ſalubris pro defunctis exorare, vt à pœnis & à peccatis ſoluantur.* Huic ſimile, lege apud D. Gregorium lib. 4. Dialogorum, cap. 40. vnde ſaluator Math. 7. 18. & Marci 11. *Propterea*, inquit, *dico vobis, omnia quæcunq; orantes petetis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.*

Tertivs modvs eſt, quo nos proximos noſtros in Purgatorio iuuare

 uare

uare poſſumus, Inuocatio Sanctorum, iuxta illud, 2. Petri cap. 1. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos, poſt obitum meum, vt horum omnium memoriam faciatis.*

QVARTVS MODVS eſt, quo proximos noſtros in Purgatorio iuuare poſſumus, Proceſsiones & Peregrinatio ad loca ſancta, & ad ſepulchra ſanctorum: quia ſcriptum eſt, 4. Regum 13. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.*

QVINTVS MODVS eſt Ieiunium: Ad ieiunium autem reducuntur diſciplinæ, vigiliæ, cilicia, maceratio & mortificatio carnis, lachrymę & aliæ carnis afflictiones, vt eſt caſtitas, continentia, & ab omnibus peccatis, & occaſionibus peccatorum diſceſsio, & cuſtodia. Quemadmodum enim Bethulien. ab Holoferne principe militiæ Regis Aſſyriorum Nabuchodonoſor obſeſsi & circumdati, oratione & ieiunio placauerunt Dominum; ita & illi in purgatorio, à dæmonibus obſeſsi & circumdati, proximorum ieiunio poſſunt iuuari. Iuxta illud Iudith cap. 4. *Tunc Eliachim ſacerdos Domini magnus circuiuit omnem Iſraël, allocutuſq; eſt eos dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permãſeritis in orationibus in conſpectu Domini.* Item, Math. 17. & Marci 7. cap. *Hoc autem genus dæmoniorum non eijcitur,* & non vincitur in purgatorio, *niſi per proximorũ orationem & ieiunium.*

SEXTVS MODVS eſt Oblationes ipſę, quę ſunt multiplices, vt ſunt animalia, pecuniæ, panes, vinum, ornamenta, cærei: quibus licèt nõ egeat Deus: quia bonorum noſtrorum non eget: tamen vult per ea, & ex eis honorari. Vnde Damaſcenus in ſermone de mortuis docet: Cęreos & oleum ſolitum fuiſſe apud antiquos pro mortuis offerri.

SEPTIMVS MODVS eſt, quo nos proximos noſtros in purgatorio iuuare poſſumus, Eleemoſyna: iuxta illud Tobiæ 4. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulchrum iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Item, Eccleſia. cap. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum.* Vnde D. Auguſtinus in Enchiridio cap. 110. *Neq; negandum eſt*, inquit, *defunctorum animas, pietate ſuorum viuentium releuari; quùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, & eleemoſynæ in Eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſsint, meruerunt.*

QVANTVM AD TERTIVM PVNCTVM puta, Credendum eſt Orationibus, Ieiuniis, Eleemoſynis, & aliis piis operibus, proximum pro peccatis proximi, Deo adiuuante, ſatisfacere poſſe.

Fidem habet hæc poſitio Notabili 4. cap. 5.

Item,

Item, probatur authoritate ſcripturæ Iob. cap. 42. *Poſtquam autem locutus eſt Deus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themaniten: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam, vt non imputetur vobis ſtultitia. Neq; enim locuti eſtis ad me recta, ſicut ſeruus meus Iob.*

Item, teſtimonio D. Hieronymi, qui aduerſus Vigilantium ſcribens, dicit ſic: Vnus homo Moyſes, ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam. Exodi 32.

Item, Actuum 27. Paulus Apoſtolus, ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas.

Item, S. Thomas ſuper cap. 6. ad Galat. lect. 1. ſuper illis verbis: *Alter alterius onera portate, dicit*: & hoc tripliciter. VNO MODO, defectum alterius corporalem ſeu ſpiritualem, patienter tollerando, ab Ro. 15. *Debemus autem nos firmiores, &c.* ALIO MODO, neceſsitati mutuæ ſubueniendo, ad Roma. 12. *Neceſsitatibus Sanctorum communicantes.* TERTIO MODO, pro pœna ſibi debita ſatisfaciendo, orationibus & bonis operibus: Prouerb. 18. *Frater, qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.*

De Concluſione ſecunda eſt Controuerſia inter Catholicos & Hæreticos. Nam Catholici hanc Concluſionem, vt ponitur Catholicè in forma, non ſolùm affirmant, ſed etiam cum Patribus credunt.

Contrà Lutherus, Lutherani, & alii Hæretici, ſatisfactionem ſimpliciter negant. Et propterea quæritur: AN PROXIMVS, PRO PECCATIS PROXIMI, POSSIT, ET DEBEAT SATISFACERE?

Et videtur, quòd non: quia ſcriptum eſt, Pſalm. 61. *Quia tu reddis vnicuiq; iuxta opera ſua.*

Item, Ezechielis 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iuſtitia iuſti ſuper eum erit: & impietas impij erit ſuper eum.*

Item, 2. ad Corint. cap. 5. *Omnes enim nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti; vt referat vnusquiq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.*

Item, ad Galat. cap. 6. *Vnusquiq; enim onus ſuum portabit, &c.*

Et hoc ipſum volunt Rationibus probare.

PRIMA RATIO. Vnus pro alio non poteſt diſponi: igitur nec ſatisfacere.

CONSEQVENTIA ab Antecedentibus. ANTECEDENS notum.

SOLVITVR ENTHYMEMA. Negatur Conſequentia: tum quia ex puris negatiuis nihil concluditur: tum quia, ſicut alia pietatis Chriſtianæ officia, & exercitia propter charitatem ſunt communia, ita & diſpoſitio.

SECVNDÒ ſoluitur: Quanquam vnus pro alio non poteſt diſponi materialiter; poteſt tamen diſponi formaliter, & exemplariter.

SECNDA RATIO. Vnus pro alio non poteſt conteri, & confiteri: igitur nec ſatisfacere.

CONSEQVENTIA ab Antecedentibus.

ANTECEDENS probatur: Si quis non poteſt ſubire munus ſimul quarundam rerum, quæ adinuicem ordinem habent; vnius ex illis ſeparatim nequaquam poterit. Sed nemo poteſt conteri, aut confiteri pro altero: ergo nec ſatisfacere. Nam hæc tria, ſcilicet Contritio, Cõfeſsio, & Satisfactio, ſunt quodãmodo coniugata & connexa, quę ad ſe inuicem ordinem habent, & mutuò ſibi correſpondent. Adde, quòd ſi aliquis pro altero ſoluendam ſatisfactionem ſuſceperit, & interim nõdum ſoluta ſatisfactione moriatur; punietur in purgatorio, vel abſque ſatisfactione ad cælum euolabit: quòd ſi alius poſtea ſatisfacere debeat; conſurget duplex tribulatio, aut ita in infinitum procedetur: ergo quilibet pro ſe tantùm debet ſatisfacere. SOLVITVR. Negatur Conſequentia, propter cauſas in ſuperiori argumento dictas: tum quia Contritio, & Confeſsio proximi prodeſt proximo, proximum imitanti in bono, ſimiliter & Satisfactio. Porrò ille migrans ex hac vita ſine ſatisfactione, ignem in purgatorio ſuſtinebit: & ſatisfactio poſtea ſi fiat, cedet in bonum facientis; & ſic non conſurget duplex tribulatio, nec erit proceſſus in infinitum. Item, SOLVITVR: quia qui non ſufficit ad ſoluendum debita propria, ſuffragabuntur illi ſuffragia aliena, quæ charitas facit ſua.

TERTIA RATIO. Pœna exigitur vt morbus ſanetur. ſed propter pœnam alterius infirmitas non ſanatur: igitur propria pœna ſeipſum quisque redimere debet.

MAIOR vera de lege iuſtitiæ. MINOR nota.

SOLVTIO. Minor negatur ſimpliciter: nam datur inſtantia: quia

propte

propter pœnam (ſi ita dicere fas eſt) Chriſti, ſanatus eſt mundus. Vnde D. Petrus 1. Pet. cap. 2. dicit: *Cuius liuore ſanati eſtis.*

Porrò ad Authoritates in principio Controuerſiæ poſitas, D. Thomas Aquinas ſuper cap. 6. ad Galat. lect. 1. generali ſolutione reſpondet ſic: *Vnusquisque onus ſuum portabit, quod videtur eſſe contrarium ei quod dixerat: Alter alterius onera portate. Sed ſciendum eſt, quòd ibi loquitur de onere ſuſtinendæ infirmitatis (quando dicit, Alter alterius onera portate) quod debemus mutuò portare; hîc loquitur de onere reddendæ rationis, quod quilibet pro ſe portabit, ſiue ſit onus premij, ſiue pœnæ: nam onus aliquando pondus pœnæ, aliquando premij ſignificat, 2. ad Corinth. 4. Æternum gloriæ pondus operatur. etc. Si autem dicatur, quia quidam debent rationem reddere pro alijs, puta Prælati pro ſubditis, ſecundùm illud Ezechiel. 3. Sanguinem eius de manu tua requiram. etc. Et ad Hebræ. 13. Obedite præpoſitis veſtris: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. non eſt contrarium dicto Apoſtoli; quia non puniuntur pro peccatis ſubditorum, ſed pro proprijs, quæ in cuſtodia ſubditorum commiſerunt. Eſt ergo vitanda ſuperbia, & peccatum: quia vnusquisq; onus ſuum, id eſt, menſuram gratiæ ſuæ offeret Deo in die iudicij, tanquam manipulos bonorum operum. Pſalm. 125. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos: et hoc quantum ad bonos. vel onus ſuum portabit, id eſt, pœnam pro proprio peccato.* Hæc D. Thomas, vbi ſuprà.

IN OPPOSITVM verò eſt authoritas ſacræ ſcripturæ Eccleſiaſtici cap. 17. *Vnicuique Deus mandauit de proximo.*

Item, Eccleſiaſt. 33. *Reſpicite, quoniam non mihi ſoli laboraui, ſed & omnibus exquirentibus diſciplinam.* Item, ad Rom. 10. Apoſtolus dicit: *Cupiebam anathema eſſe pro fratribus meis.* Item, 1. ad Corinth. 13. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* Item, 2. ad Corint. 13. *Impendam et ſuperimpendar in obſequium fidei veſtræ.* Item, ad Galat. cap. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Item, ad Epheſ. ca. 4. & ad Coloſs. cap. 3. *Supportantes inuicem in charitate. &c.*

Atque hoc ipſum pluribus rationibus poteſt confirmari.

PRIMA RATIO. Quidquid eſt in natura, in ciuitate, in communi vita hominum, & legibus, non fruſtra; illud meliori modo eſt in Eccleſia ſcriptura & ſpirituali vita hominum. ſed ſatisfactio eſt in natura, in ciuitate, in cōmmuni vita hominum, eſt in legibus, & non fruſtra: igitur ſatisfactio meliori modo eſt in Eccleſia, ſcriptura, & ſpirituali vita hominum, & non fruſtra.

puta vt proximus pro peccatis proximi ſatisfaciat Deo, nam alioqui fruſtra eſt calceus, cuius non eſt calceatio, teſte Ariſtot. &c.

MAIOR A minori ad maius: nam quidquid eſt rerum in natura, hoc idem multò melius in gratia: ſimiliter, quidquid boni eſt in Repub. & ciuitate, multò copioſius in Eccleſia Catholica, quæ eſt ciuitas Dei, &c.

MINOR eſt manifeſta ex ſupradictis authoritatibus ſacræ ſcripturæ. Sed & ipſe M. T. Cicero ſuo ſcripto & exemplo, hoc idem probat & confirmat: nam lib. 1. Epiſtolarum Familiarium, Epiſt. 1. ad Pub. Lentulum Proconſulem, de ſe ſcribit ſic: Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cęteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquã ſatisfacio.

Ergo Satisfactio eſt in natura, in ciuitate, in communi vita hominum, & neceſſariò debet eſſe: nam alioqui magno bono priuaretur natura. VERVM ET CATHOLICVM eſt dogma: Quia Deus dat hominibus ſua dona, vt alter alteri ſatisfaciat: ſic medicus habet donum à Deo, vt ſatisfaciat infirmitatem patienti. vnde Iſaias cap. 50. dicit: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo. Sic paſtori dat regimen, vt ſciat ſatisfacere ouibus, &c. Sic militi dat artem militarem, vt ſciat ſatisfacere Reipub. & Patriæ, &c. Et hæc eſt bona pars officii, iuſtitiæ, & charitatis Chriſtianæ.

SECVNDA RATIO. Eſt in natura, in ciuitate, in communi vita hominum, in legibus multiplex officium, & multiplex ſatisfactio: igitur in Eccleſia neceſſe eſt, vt ſit & eſt multiplex officium, & multiplex ſatisfactio.

CONSEQVENTIA à minori ad maius, vt ſuprà.

ANTECEDENS eſt D. Ambroſii in libris de Officiis, & M. T. Ciceronis, ſimiliter in libris de Officiis.

Præterea, hoc officium multiplex, & multiplicem ſatisfactionem explicat etiam Diuus Thomas Aquinas, ſuper caput 6. ad Galatas lect. 1. Nam ſi volunt ſuo ſpirituales ſatisfacere officio, debent ſecularium tam corporales quàm ſpirituales defectus patienter tollerare. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus ad Roma. 15. cap. Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere: vnusquiſq; veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 68. *Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.* Item, ad Rom. 14. Et 1. ad Theſsal. cap. 5. *Infirmum autem in fide aſſumite, &c.* Debent

bent viciſsim ſeculares ſi volunt officio ſatisfacere, ſpirituales honorare, & illis obedire in licitis & honeſtis. Item, Domini ſubditorum ſuorum debent defectus patienter tolerare. Et ſubditi viciſsim debent dominis ſuis obedire, & pro ſe inuicem orare, ſi volunt officio ſatisfacere, &c. Ergo proximus pro peccatis proximi, poteſt & debet ſatisfacere.

TERTIA RATIO. Amicus pro amico poteſt debitum ſoluere: igitur proximus pro peccatis proximi poteſt ſatisfacere.

CONSEQVENTIA à ſimili.
ANTECEDENS probatur variis in vita communi exemplis.

QVARTA RATIO. Vbi eſt charitas & amicitia, ibi eſt officium & ſatisfactio. ſed in Eccleſia Catholica eſt charitas & amicitia: igitur in Eccleſia Catholica eſt officium, & ſatisfactio: & per conſequens proximus pro peccatis proximi poteſt ſatisfacere.

MAIOR vera: quia Apoſtolus 1. ad Corint. 13. dicit: *Charitas non eſt otioſa, & non quærit quæ ſua ſunt.*
MINOR: quia Chriſtus Dominus mandauit in Eccleſia charitatem, Math. 22. Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.*

QVINTA RATIO. Vbi eſt iuſtitia, prudentia, iudicium, & diſcretio, ibi eſt officium, & ſatisfactio. ſed in Eccleſia Catholica eſt iuſtitia, iudicium, prudentia, & diſcretio: igitur in Eccleſia Catholica eſt officium & ſatisfactio: & per conſequens proximus pro peccatis proximi poteſt ſatisfacere.

MAIOR vera à Deffinitione. MINOR Math. cap. 5.

SEXTA RATIO. Vnus alteri poteſt mereri: igitur proximus pro peccatis proximi poteſt ſatisfacere.

CONSEQVENTIA ab Antecedentibus.
ANTECEDENS Math. 15. in exemplo mulieris Chananeæ patet: quæ ita ſatagebat; vt mereretur filiæ ſuæ, quæ erat tormentata à diabolo liberationem.

SEPTIMA RATIO. Chriſtus pro nobis Deo patri ſatisfecit: igitur & nos debemus pro peccatis proximi Deo ſatisfacere.

CON-

CONSEQVENTIA ab authoritate & exemplo : Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis : Dedit exemplum, dedit præceptum, Lucæ 10. *Curam illius habe, & quodcunq; ſupererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.*

ANTECEDENS ad Coloſſen. cap. primo & ſecundo.

Hæc & alia ſexcenta, poſſunt ad eam rem adferri argumenta. Sed ſi iſtis hæreticis nondum ſatis faciunt argumenta Catholicorum; audiant miſeri Decretum Patrum Sacroſancti Concilii Tridentini, qui Seſsio. 24. Canone 12. pronunciauerunt ſic : *Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo : ſatisfactionemq; pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; Anathema ſit.*

Item, ibidem Canone 14. *Si quis dixerit ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atq; ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes; Anathema ſit.*

COROLLARIVM PRIMVM.

Nemo poteſt ſatisfacere Deo, niſi ſatisfecerit & proximo. Probatur Corollarium Notabili ſeptimo cap. 4.

Item probatur authoritate ſcripturæ 1. Ioan. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt; Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo; vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

COROLLARIVM SECVNDVM. Contra Lutherum.

Satisfactio ſimpliciter paucorum eſt, ſed ſatisfactio ſecundùm quid, eſt communis. Probatio Corollarij patet concluſione 2. Item, probatur Notabili 1. cap. 2.

COROLLARIVM TERTIVM.

Nemini deſperandum de Indulgentia, quicunque in toto corde conuerſus, contrito corde egerit pœnitentiam : quia nullum eſt peccatum, quod per veram pœnitentiam non deleatur; ſed pœnitendum de omnibus.

Probatio Corollarij Notabili 7. cap. 2. Item, probatur authoritate ſcripturæ, Pſalm. 40. *Nunquid, qui dormit non adjiciet vt reſurgat.* Item, Pſalm. 144. *Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* Item Pſalm. 145. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ*

in eis

in eis ſunt. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet. Item Pſalm. 146. *Dominus ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Similiter ſcriptura Noui teſtamenti. Saluator Matth. 9. *Non enim veni vocare iuſtos; ſed peccatores.* Item, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Item, ad Rom. cap. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Item 1. ad Corinth. 10. *Itaq; qui ſe exiſtimat ſtare, videatne cadat.* Item ad Epheſ. 5. *Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Item, 1. ad Timoth. cap. 1. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. ſed ideò miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.*

Porrò de omnibus pœnitendum eſſe, docet ſanctus Auguſtinus in libro de vera & falſa Pœnitentia cap. 9. *Sunt,* inquit, *etiam peccata alia quæ omninò eripiunt vitam, niſi ſuccurrat pœnitentia. Non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Quare agenda eſt pœnitentia, vt deleantur crimina. Sed quoniam pœnitentia non omnis eſt bona, dicamus aliqua, quæ ſeparant verum à falſa, ſterilem à fructuoſa. Sunt enim quos peccaſſe pœnitet propter præſentia ſupplicia: diſplicent enim latroni peccata, quando agitur de pœna: deſit vindicta; reuertitur ad crimina. Iſta eſt, pœnitentia non ex fide procedens, nec eſt charitate munita; ſed ſterilis & ſine miſericordia. Hæc non purgat conſcientiam, nec lauat crimina: in hac nulla eſt ſpes veniæ: nulla expectatio indulgentiæ. Huic concordant, qui confitentur inuiti: non amore boni; ſed vt fugiant damnum, vel incommodum ſeculi. Seruiunt mundo, quem amant: quærunt ſuam gloriam, quam anhelant: recipiunt mercedem, quam expectant. Si quis tali pœnitentia ſecurus extiterit, & ad verum pœnitentiam de iſta non conſcenderit; deceptus & miſer æternaliter peribit. Vtilis ergo erit pœnitentia, ſi ſit ſpontanea, Dominum quærens, quem amiſiſſe doleat: ad illum anxians, præter quem non eſt vita. Sunt plures, quos pœnitet peccaſſe; ſed non omninò, reſeruantes ſibi quædam in quibus delectentur, non animaduertens Dominum ſimul ſurdum & mutum à dæmonio liberaſſe, per*

ſe, per hoc docens nos, nunquam niſi de omnibus ſanari: ſi enim vellet ex parte peccata reſeruari, habenti ſeptem dæmonia, manente vno, proficere potuerat ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, vt omnia crimina ſimul eijcienda doceret: legionem autem ab alio eijciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum poſſideret: oſtendens, quòd ſi etiam peccata ſint mille, oportet de omnibus pœnitere. Laudatus eſt enim Dominus, quando eiecto dæmonio loquutus eſt mutus. Nunquam aliquem ſanauit, quem omninò non liberauit: totum enim hominem ſanauit in Sabbatho; quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit, indicans pœnitentem oportere ſimul dolere de omni crimine orto in anima & corpore: ſcio enim Deum inimicum omni criminoſo; quomodo ergo, qui crimen reſeruat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei conſequetur indulgentiam, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam; hoſtis enim Dei eſt, dum offendit perſeueranter. Quædam enim impietas infidelitatis eſt, ab illo, qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam: iam enim foret ſine pœnitentia inuenire gratiam. Pœnitentia enim vera, ad baptiſmi puritatem confitentem conatur adducere. Rectè enim pœnitens, quidquid ſordium poſt purificationem in baptiſmo contraxit, oportet vt abluat, ſaltem lacbrymis mentis: ſed ſatis durus eſt, cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare: ſed ſciat culpabiliter ſe durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati lacbrymis non oſtendit. Non itaq; eſt, vt quis excuſet ſe non habere fontem lachrymarum, qui nonnunquam lachrymis oſtendit dolorem temporalium. Hæc D. Auguſtinus vbi ſuprà.

COROLLARIVM QVARTVM.

Secundùm verbum & ſententiam Domini, cuicunque ſub indulgentia plus dimittitur, ille plus debet diligere: nam cui minus dimittitur, minus diligit.

Probatur Corollarium Notabili 7. cap. 3. & 4. Item, probatur Corollarium authoritate ſacræ ſcripturæ ad Rom. 15. *Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.* Item, 1. Ioan. cap. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.*

Nota. Quia vnuſquiſq; particeps indulgentiarum, lege ſacroſancti Euangelij, tenetur ad gratiarum actionem: nam illi nouem à lepra mundati, quia non egerunt gratias Chriſto Domino, medico & ſaluatori ſuo, quia ſe ingratos ſtultiſsimè oſtenderunt, malè audiunt in Euangelio, Lucæ 17. & ſe maiori gratia & in melioribus beneficijs indignos coram vniuerſali Eccleſia iudicant.

CON-

CONCLVSIO TERTIA.

SIcut alia media à Deo ordinata, ſunt neceſſaria ad iuſtificationem: ita & indulgentiæ.

Probatio Concluſionis, patet Notabili quarto cap. 1. Item, patet ex ventilatione Quæſtionis.

COROLLARIVM PRIMVM.

Vota, Peregrinationes, Offertoria, & alia ſpiritualis vitæ exercitia, commendat ſacra ſcriptura: nam per huiuſmodi exercitia, homines vt plurimùm conſequuntur indulgentiam & iuſtificationem.

Probatio Corollarij, ponitur Notabili 6. cap. 1. 2. 3. Item, probatur apud Magiſtrum Sentẽtiarum lib. 1. Diſtin. 37. Item, apud Diuum Thomam parte 1. Quæſt. 8. Artic. 3.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Qui peregrinantur, debent peregrinari non in feruore, qui ſit ad tentationem: ſed communicantes Chriſti paſsionibus. 1. Pet. 4.

Probatur Corollarium, Notabili 6. cap. 2. Item, probatur authoritate ſcripturæ 1. ad Thimotheum cap. 4. *Ineptas autem, & aniles fabulas deuita, exerce autem teipſum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.*

COROLLARIVM TERTIVM

Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in corruptione ſumus. Eccleſ. 8.

Probatur Corollarium Notabili 2. cap. 5. *Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato.* LYRANVS, id eſt, Eum hypocritam, vel Papelardum vocando, ſicut faciunt multi. *Memento, quoniam omnes in corruptione ſumus.* id eſt, ad corruptionem tendimus; eò quòd ex elementis contrarijs compoſiti ſumus. *Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato.* DIONYSIVS CARTHVSIANVS, id eſt, cùm talis ſit honorandus, & in ſua conuerſione confirmandus, & corroborandus, *Neque improperes ei,* mala ſua præterita, quæ à Deo iam ſunt dimiſſa. Verùmtamen ſi capitale crimen commiſit, poteſt ſecundum ordinem iuris dijudicari, quamùis pœniteat. *Memento, quoniam omnes in corruptione ſumus,* id eſt, originali peccato infecti, multumque peccatis obnoxij: *quia in multis offendimus omnes.* Iac. cap. 1. *Et ſi dixerimus*

quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. 1. Ioannis cap. 1. Idcirco ex conſideratione propriæ calamitatis, alijs condolere diſcamus.

CONCLVSIO QVARTA.

QVamùis indulgentiarum nomen, non ita frequenter legatur in ſcripturis: res tamen ab origine mundi, ſemper adhuc fuit in vſu.

Huius Concluſionis probatio, poſita eſt in Notabili ſecundo, cap. 3. &c. Item, ex Concluſione Prima, & Corollariis proximè ſequentibus.

Item, Probatur authoritate Sacræ ſcripturæ, ad Hebr. cap. 9. *Habuit quidem & prius iuſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare, &c.* Item, Apocalip. cap. 13. Et ad Hebr. 9. *Agnus occiſus eſt ab origine mundi.* Item, Sapien. cap. 10. Salomon teſtatur: quia Deus Adamum eduxit à delicto ſuo. Item, Lucæ cap. 1. *Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.*

Porrò D. AMBROSIVS ſuper illis verbis Beati Ioannis Apoſtoli: *Agnus occiſus eſt ab origine mundi*, dicit: *quia eius mors ab exordio generis humani in ſanctis Patribus præfigurata eſt. In primo namq; homine præfigurata eſt, quando eo dormiente, Eua de coſta eius facta eſt. Similiter & in Abel præfigurata eſt, qui à fratre Cain peremptus eſt. Præfigurata eſt et per Iſaac, quem Pater in holocauſtum obtulit Domino. Similiter & per Ioſeph, quem fratres vendiderunt. Præfigurata eſt etiam mors eius in diuerſis ſacrificiorum ritibus. Quoties ergo mors Chriſti à Sanctis Patribus, aut præfigurata, aut prædicta eſt, toties agnus occiſus eſt.* Hæc D. Ambro.

LYRANVS ſuper iiſdem verbis: *Agnus occiſus eſt ab origine mundi*, dicit hoc dupliciter poteſt intelligi. VNO MODO diſpoſitiuè: *quia ſic Deus diſpoſuit, ab æterno mũdum facere: quæ quidem diſpoſitio, poteſt dici quædam mundi origo, in quantum ad exemplar mundi præconcepti æternaliter à Deo, productus eſt mundus temporaliter in effectu. vnde Boetius lib. de conſolatione. Tu cuncta ſuperno ducis ab exemplo: mundum mente gerens ſimilem imagine formans.* Alio modo figuratiuè: *& ſic ab initio mundi, Chriſtus in Abel fuit occiſus: nam occiſio Abel innocentis, fuit figura occiſionis huius agni: vnde dicit D. Auguſtinus, quòd fuit in Abel occiſus, & in Prophetis exhonoratus.*

Fuit ergo ſignum figuraque Paſsionis Chriſti agnus, qui ab origine mundi occiſus eſt: ſed fuit & res ſimul: quia multa virtute futuræ paſſionis Chriſti, humano generi beneficia exhibebantur, vt patebit in Corol-

Corollario primo, &c. huius Concluſionis ſecundæ.

De tertia Concluſione eſt certamen, & controuerſia inter Scholaſticos. Nam Dominicus à Soto Diſtin. 21. Quæſt. 1. Arti. 3. ponit ea de re primam Concluſionem talem: INDVLGENTIARVM NOMEN INTER CANONICAS SCRIPTVRAS, ANTE QVADRINGENTOS ANNOS RELATVM LEGIMVS. *Prima enim ſcriptum, quæ de illo habetur, eſt C. illud. Quod autem, de pœnitentiis & remiſſionibus Alexandri Tertij, qui ſedit Anno Domini* 1160. *vbi mentio fit de indulgentiis, quæ concedebantur in Dedicationibus Eccleſiarum, aut pontium. ſed tamen illic non conſtituitur, tanquam res noua; ſed memoratur veluti antiqua. Magiſter autem ſententiarum, præceſſit illum Pontificem viginti annis. Quare credibile eſt, ſua etiam ætate in more illas indulgentias fuiſſe. Sed quia vidit ad remiſſionem peccatorum pertinere, non fecit de illis peculiarem mentionem. Quare neq; Hugo eius coætaneus, qui de ſacramentis ſcripſit, de illis meminit.*

Sunt qui arbitrentur indulgentiarum conceſſiones, cœpiſſe à tempore Gregorij magni. De hoc autem nulla exſtat hiſtoria, præterquam quòd antiquiſſimæ ſtationes Romanæ ad Sanctorum Baſilicas, documentum aliquod rei huius perhibent. Alij aiunt cœpiſſe quinquaginta annis antea: nempe ſub Annum Domini 1090. *quando ſub Vrbano Secundo congregata fuit Clarmontana Synodus: vbi Gothfredus de Bullione, Lotharingiæ dux, cum ingenti Chriſtianorum expeditione, ad bellum Hieroſolymitanum delegatus eſt. In Synodo verò illa, nulla fit indulgentiarum mentio: ſed quòd milites rubea cruce ſignabātur in pectore. vnde diplomatis, quæ modò aduerſus Turcas expediuntur, Cruciatæ nomen relictum eſt. Creduntur tamen illius Synodi indulgentiarum conceſſionem, fuiſſe contentam in parte illa deciſa decretalis, ad liberandam terram ſanctam de Iudæis. Meminit tamen earundem indulgentiarum, quæ accedentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur, Innocentius Tertius cap. Excommunicamus, de Hæretic. Qui quidem Pontifex, in Concilio Lateranen. Canonem edidit, qui refertur C. cùm ex eo, de pœniten. & remiſſione, Anno Domini* 1200. *vbi mentio fit antiquæ formæ indulgentiarum, quæ in ſubſidium hoſpitalium conceduntur, cohibenturq; Epiſcopi, ne indiſcretas indulgentias largiantur. Poſtea ſucceſſit Innocentius Quartus, qui in Concilio Lugdunen. eundem Canonem confirmauit. Deinde Bonifacius Octauus, qui circa Annum Domini* 1300. *commemorans, quanta fuerit antiquitus indulgentiarum, copia conceſſa viſitantibus Apoſtolorum limina, indulſit plenariam indulgentiam in anno Iubilei, in Extrauag. Antiquorum de pœniten. & remiſſione. Ac demum Clemens Sextus, poſt annos quadraginta in alle-*

in allegata Extrauag. vnigenitus latiſsimum ſermonem de theſauro Eccleſiæ per indulgentias diſpertiendo fecit. Non ergo indulgentiarum vſus res eſt tam noua, quam Lutherus contra propriam ſcientiam affirmat. Sub ætate ergo Innocentij Tertij Altiſiodorenſis, Alexander de Ales, Albertus magnus, & Sanctus Thomas de indulgentiis ſcribere orſi ſunt. Hæc Dominicus à Soto. qui ſecunda Concluſione ibidem tempore Apoſtolorum, indulgentias ſemper fuiſſe in vſu affirmat, & probat ſcriptura 2. Corint. 2. quo loco legitur S. Paulus incœſtuoſo, à ſuo flagitio, & crimine conuerſo & pœnitentiam agenti, pœnam quam illi prius impoſuerat, poſtea relaxaſſe, qua de re latius diximus, Notabili tertio, cap. 4. Fuerunt igitur indulgentiæ in vſu tempore Sanctorum Apoſtolorum. Verùm enimverò, an fuerint quoque ſub Moyſe; hoc opus, hic labor eſt. Nam D. Ambroſius ſuper Pſalm. 38. videtur ſentire, quòd non: dicit enim: *Sciebat*, inquit, *Propheta David, indulgentias non eſſe iis, qui ſecundùm Aaron erant ſacerdotibus attributas, ſed Euangelio ſeruatas:* ſicut plenius Notabili tertio, cap. 4. diximus.

Atque hoc ipſum pluribus Rationibus poteſt confirmari.

PRIMA RATIO. Qui habebant legem peccati, non habebant indulgentiam. ſed antiqui in ſynagoga habebant legem peccati: igitur antiqui in ſynagoga non habebant indulgentiā.

MAIOR vera à Repugnantibus.

MINOR eſt Archangeli Gabrielis apud Danielem cap. 9. *Vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum*, id eſt lex, *& deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna*, id eſt Euangelium.

MINOR probatur: Quibus dominatur peccatum, illi habent legem peccati & mortis. ſed antiquis in Synagoga dominatur peccatum: igitur antiqui in Synagoga habebant legem peccati & mortis, & per conſequens non habebant indulgentiam. MAIOR vera. MINOR Dan. 9. Item, ad Galat. 3. Item, ad Roma. 7. *An neſcitis fratres, quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit, &c.* lege totū.

SOLVTIO, D. AVGVSTINVS in lib. octoginta trium Quæſtionum, Quæſt. 66. Tomo 4. pag. 407. B. Soluit argumentum ſic: *Lex autem peccati dicitur, non quia lex ipſa peccatum eſt: ſed quia peccatoribus imponitur, ideò etiam lex mortis: quia ſtipendium peccati mors: aculeus mortis peccatum: virtus autem peccati, lex. Peccando enim ad mortem labimur: vehementius enim peccamus lege prohibente, quàm ſi nulla lege prohiberemur. Accedente autem gratia idipſum, quod lex oneroſè iuſſerat, iam ſine onere, ac libentiſsime implemus. Lex ergo peccati & mortis, id eſt, quæ impoſita eſt peccantibus, atq; morientibus, iubet tantùm ne concupiſcamus, & tamen*

tamen concupiſcimus. Lex autem ſpiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, & liberat à lege peccati, & mortis: facit, vt non concupiſcamus, & impleamus iuſſa legis: non iam ſerui legis per timorem; ſed amici per charitatem, & ſerui iuſtitiæ, vnde illa lex promulgata eſt. Iuſtitiæ autem non ſeruiliter, ſed liberaliter ſeruiendum eſt, id eſt, charitate potius quàm timore. Hæc D. Auguſt. vbi ſuprà.

SECVNDA RATIO. Quicunque participes ſunt indulgentiæ, acquirunt aliquid de perfectione. Nulli Iudæi poterant aliquid acquirere de perfectione: igitur nulli Iudæi fuerunt participes indulgentiæ, & per conſequens in ſynagoga non fuerunt indulgentiæ.

MAIOR vera à Definitione.

MINOR eſt Apoſtoli ad Hebr. cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

SOLVTIO, Non valet Conſequentia, quia minor eſt falſa: nam datur inſtantia, Ezechiel. 18. *Dominus dicit, in iuſtitia ſua quam operatus eſt viuet*: ergo & in lege, vt Prophetæ teſtantur, fuit iuſtitia & perfectio iuſtitiæ, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & ſecundùm menſuram donationis Dei: & ſecundùm maiorem vel minorem fidem & obſeruationem legis, & mandatorum Dei. SED SI contrà inſtes: quia ibi fuit minor perfectio, quia minor iuſtitia: ergo fuit minor indulgentia. RESPONDEO, Hoc ita fieri potuiſſe, melius Deus ſcit: verùmtamen maius & minus non variant ſpeciem.

TERTIA RATIO. Vbi eſt indulgentia, ibi eſt libertas. ſed in Synagoga nulla fuit libertas: igitur in Synagoga nulla fuit indulgentia.

MAIOR vera à Definitione.

MINOR eſt Apoſtoli ad Galat. 3. & 4. *Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit &c. Hæc ſunt duo teſtamenta, vnum quidem in monte Sinai in ſeruitutem generans, &c.*

SOLVTIO. Negatur Conſequentia, quia minor eſt falſa, nam datur inſtantia: Apoſtolus enim ad Galat. cap. 3. dicit: *Lex propter tranſgreſſionem poſita eſt.* Atqui non omnes transgreſsi ſunt legem Dei. vnde Dominus ad Eliam 3. Regum cap. 19. & ad Roma. 11. dicit: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.*

SED contrà eſt, quod tenet communis ſententia: quia ipſemet Magiſter & ſaluator noſter Chriſtus Dominus, Ioan. cap. 3. dicit: *Et*

 ſicut

ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

LYRANVS ſuper cap. 21. Numerorum. *Ergo aſpicientes illum ſerpentem, recognoſcebant afflictionem illam ſibi à Deo iuſtè illatam, petentes ab eo miſericordiam*, & indulgentiam, *& ipſe ſanabat eos. Ratio autem myſtica eſt: quia ſerpens ille figurabat Chriſtum paſſurum in cruce: vt habetur Ioannis 3. per cuius intuitum, & fidem, & deuotionem ſanamur à morſibus Sathanæ.*

Huc accedit, quod D. Auguſtinus in Pſalm. centeſimum trigeſimum ſecundum, *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, &c.* ſcripſit. *Verùmtamen dilectiſſimi*, inquit, *ſi conſideremus de illo pariete Circumciſionis, ibi prius nata eſt benedictio: num enim omnes Iudæi perierunt? Et vnde Apoſtoli, filij Prophetarum, filij excuſſorum? vnde illi Quingenti, qui Dominum poſt reſurrectionem viderunt, quod commemorat Apoſtolus Paulus? Vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & aſcenſionem in cælum: quibus in vno loco conſtitutis ſuperuenit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes miſſus de cælo, ſic miſſus ſicut promiſſus?* Omnes inde erant &c. *Ergo ipſi prius audierunt benedictionem*, & indulgentiam, *primi audierunt, ſed non ſoli audierunt: Non enim vſq; ad illos iſta dilectio & vnitas fratrum venit: venit enim et ad poſteros iſta charitas, exultatio, votum Deo*, adde benedictio & indulgentia.

Quo loco D. AVGVSTINVS docere & tenere videtur benedictiones & indulgentias, iam antè in veteri Teſtamento in vſu fuiſſe: vnde ſaluator & legiſlator noſter Chriſtus Dominus, Math. cap. 5. dicit: *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant, &c.*

Item Dominicus à Soto Diſtin. 21. quæſt. 2. Artic. 1. dicit ſic: *Ceremonia verò hæc Anni Iubilei, ex veteri lege deſumpta eſt: nam inſtar quinquaginta dierum à Paſchate vſq; ad Pentecoſten, iubebat Deus, vt quilibet quinquageſimus annus eſſet ſanctus, vbi diuenditæ poſſeſſiones, ad ſuos dominos reuertebantur. Inſtar ergo illius, fiunt nunc remiſſiones pleniſſimæ iubilei.*

Atque hoc ipſum pluribus Rationibus poteſt confirmari.

PRIMA RATIO. Singularia ſunt priora, & propinquiora ſenſui: igitur ſingularis indulgentia prior eſt, quàm vniuerſalis. Et per conſequens, priùs fuerunt indulgentiæ in lege & Synagoga, quàm in Eccleſia Catholica.

CONSEQVENTIA à ſingularibus ad vniuerſalia.

ANTE-

ANTECEDENS eſt Ariſtotelis lib. 1. Poſteriorum, vbi dicit: Singularia ſunt priora & propinquiora ſenſui; ſed tamē vniuerſalia notiora ſunt ſingularibus. Item, probatur Lucæ 24. cap.

SECVNDA RATIO. Vbicunque ponuntur accidentia & paſsiones alicuius ſubiecti; ibi ſemper neceſſariò præſupponitur ipſum ſubiectum. ſed in veteri Teſtamento expreſſe ponuntur accidentia, & paſsiones Iubilei & indulgentiarum: igitur in veteri Teſtamento fuerunt iubilei & indulgentiæ.

MAIOR vera à neceſſariò conſequentibus.

MINOR, quia ponitur expreſsè locus, tempus, &c. vt in Notabili 5. ſufficienter probatur.

TERTIA RATIO. Nihil eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu: igitur & in Euangelio & Eccleſia Catholica, nihil eſt quod prius non fuiſſet in lege & Synagoga: & per conſequens in lege & Synagoga fuerunt indulgentiæ.

CONSEQVENTIA, à ſimili.

ANTECEDENS eſt Ariſtotelis lib. 1. Phyſico. & 2. de anima.

QVARTA RATIO. Moyſes, Maria ſoror Moyſi, Aaron, Heli ſenex, Dauid, Ozias, Ezechias, Achab, & alij, qui peccauerant in veteri lege, conſequuti ſunt indulgentiam: ergo fuerunt in veteri lege indulgentiæ.

CONSEQVENTIA, ab authoritate ſcripturæ, & à Signo.

ANTECEDENS, Eſt omnium Scholaſticorum, & probatur in ſingulis exemplis, Notabili quarto capite 2.

QVINTA RATIO. Vbi fuit benedictio, ibidem fuit & indulgentia. ſed in veteri lege fuit penes ſacerdotes benedictio: igitur in veteri lege fuit & indulgentia.

MAIOR vera à Cognatis.

MINOR Numerorum cap. 6. *Locutuſq; eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere Aaron & filiis eius: ſic benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis.*

SEXTA RATIO. Vbi fuit vna communis fides, ibidem

 fuit

fuit vna communis indulgentia. ſed in lege, & antè fuit vna cō-munis fides, quæ nunc eſt, id eſt in Eccleſia: igitur in lege,& antè fuit vna communis indulgentia: & certe quidem: quia bonum in quantum communius, in tantum melius.

MAIOR vera, quia ſcriptum eſt Actuum 15. *Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis: & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.*

MINOR eſt Sanctorum Patrum & Doctorum Scholaſticorum, vt latius probatur Corollario tertio, eiuſdem Concluſionis 4.

SEPTIMA RATIO. Vbi fuit vnum commune baptiſma, ibidem fuit vna communis indulgentia. ſed in lege fuit vnum commune baptiſma: igitur in lege fuit vna communis indulgentia. MAIOR vera.

MINOR 1. ad Corinth. cap. 10. *Patres noſtri omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari.* Item, ad Epheſ. cap. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.*

OCTAVA RATIO. Vbi fuit Pœnitentia, ibidem & indulgentia. ſed in lege fuit pœnitentia: igitur in lege fuit indulgentia.

MAIOR vera ab Antecedentibus.

MINOR patet in ſcripturis & exemplis: vnde Dauid Pſalm. 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam, &c.*

NONA RATIO. Vbi fuit Sacra communio, ibidem & indulgentia. ſed in lege fuit ſacra communio: igitur in lege fuit indulgentia. MAIOR vera.

MINOR 1. ad Corinth. cap. 10. *Patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpirituali conſequēte eos petra, petra autem erat Chriſtus.*

NOTA, quando dicit Apoſtolus: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt. &c.* D. Thomas. Hoc dupliciter legitur: VNO MODO, de bonis & malis communiter: ALIO MODO, de malis ſpecialiter. Verùmenimuerò, quia Iudæi ſub Moyſe vſi ſunt gratia ſacramentorum, vtpotè Baptiſmi & Euchariſtiæ, tunc arguo ſic: Quibus Deus oſtendit, & dedit gratiam Baptiſmi & Euchariſtiæ, credibile eſt, quia illis non negauit ſacramentum pœnitentiæ,& gratiam

indul-

indulgentiæ. ſed Deus Iudæis oſtendit, & dedit gratiam Baptiſmi & Euchariſtię:igitur credibile eſt,quia Deus Iudęis nõ negauit ſacramentum Pœnitentiæ,& gratiam indulgentiæ. MAIOR eſt vera à maiori.Si Deus dedit illis quod maius, dedit & quod minus. MINOR eſt Apoſtoli I. ad Corinth. cap. 10.

CONTRA, ſi tu dicis, quia Iudæi Baptizati ſunt, & communicauerunt manna, ſed figuraliter, vt dicit Lyra. non ſacramentaliter: tunc reſpondet Anſelmus Cantuarien. ſuper I. ad Corinth. 10. *Iudæi baptizati ſunt; quia ſignum baptiſmi acceperunt*: quod tantundem valuit eis credentibus,quantum valet nobis ipſe Baptiſmus: quia,vt dicit Diuus Thomas, hoc Baptiſmo purgati ſunt per fidem, & à peccatis, & ab ignorantia, ſubmerſis Ægyptijs. Exod. 14. *Timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & ſeruo ſuo Moyſi.* Fuerunt ergo illis communia ſacramenta; ſed non communis gratia. Ita & nunc Baptiſmus, & Euchariſtia, ſunt nobis omnibus communia ſacramenta; ſed non virtus Baptiſmi & Euchariſtiæ,iuxta illud: Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Ergo non ſufficiunt ſacramenta Eccleſiæ ſuſcepta, non ſufficiunt indulgentiæ, nobis poſtea peccantibus; ſicut neque Iudæis ſacramenta & beneficia, quin poſtea punirentur. Sed ita vtamur ſacramentis, ita vtamur Pœnitentia, & indulgentia; vt caueamus à peccatis: quia alias puniemur ſicut Iudęi,de quibus dicitur: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.*

NOTA: quia Apoſtolus manna vocat eſcam ſpiritualem, & aquam de petra potum ſpiritualem, cùm eſſet & manna corporalis, & potus ille corporalis: ſed quia vtrumque miraculosè datum;propterea,quia & manna ſpiritualis, & aqua ſpiritualis erat, quò ad cauſam, hoc eſt, à ſpirituali,non à naturali virtute producta: myſterio ſiquidem angelorum producebatur manna, Sapient. 16. *Panem de cælo præſtitiſti eis, & omnes eundem potum ſpiritualem*,id eſt,aquam dę petra. Numer. 20. *Loquimini ad petram, & ipſa dabit vobis aquam. Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ. Bibebant autem de petra ſpirituali*: quæ dicitur ſpiritualis, propter effectum miraculoſum, & propter futuri ſignum. D. Thomas. *Nota quàm diu Iudæi ſtabant in fide Patrum ſuorum, tàm diu vtebantur ſacerdotio, lege, indulgentia, & regno: ſed poſtquàm receſſerunt à fide; & ſacerdotium, & legem, indulgentias, regem, & regnum amiſerunt, & ſic exciſi ſunt, & Chriſtiani per fidem in locum illorum ſunt aſſumpti, & inſiti.* Rom. 11.

DECIMA RATIO. Vbi fuerunt ſacrificia pro peccatis,ibi fuerunt

fuerunt indulgentiæ. ſed in lege fuerunt ſacrificia pro peccatis: igitur in lege fuerunt indulgentiæ.

MAIOR vera. MINOR in Leuitico. Vnde Apoſtolus ad Hebræ. cap. 9. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationē carnis: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideò noui teſtamenti mediator eſt; vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.*

VNDECIMA RATIO. Vbi fuit ſanctificatio populi, ibi fuit indulgentia. ſed ſub Moyſe in lege fuit ſanctificatio populi: igitur ſub Moyſe in lege fuit indulgentia.

MAIOR à definitione. MINOR Exodi 19. Deus præcipit Moyſi: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, lauentq; veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. In die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe, ſuper montem Sinai. &c.* tunc ſequitur: *Deſcenditq; Moyſes de monte ad populum, et ſanctificauit eum, & lauerunt veſtimenta ſua. etc.*

DECRETVM.

Clemens Sextus in Extrauagan. cap. Vnigenitus. *De Pœnitentijs & remiſsionibus Chriſtus inquit, pretioſo ſuo ſanguine nos redemit, quē in ara crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione humani generis ſuffeciſſet; ſed copioſè velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe. Ne autem ſuperuacua, inanis, & ſuperflua eſſet tantæ effuſionis miſeratio, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit; vt ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti amicitiæ Dei. Quem quidem theſaurum per Pontifices Romanos commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & proprijs & rationabilibus cauſis, nunc pro tali, nunc pro partiali remiſsione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter (prout eum expedire cognoſcerent) verè pœnitentibus & confeſsis miſericorditer applicandum. Ad cuius quidem theſauri cumulum, Beatæ Dei genitricis, & omnium electorum, à primo iuſto vſque ad vltimum, merita, adminiculum præſtare noſcuntur. De cuius theſauri minutione, ſeu conſumptione, non eſt aliquatenus formidandum, tàm propter infinita Chriſti merita, quàm pro eo, quòd quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad iuſtitiā, tantò magis*

accre-

accreſcit ipſorũ cumulus meritorum. Hęc ille, in loco ſuperius allegato.

COROLLARIVM PRIMVM.

Indulgentiarum vſus in Eccleſia non eſt res noua, vt falsò credunt Hæretici: quia ſicut in lege ſub Moyſe, ſacerdotibus & prophetis Iudæi ſuo modo neceſſariò indulgentiis vtebantur; ita in Euangelio, ſub Petro Apoſtolis, & ſucceſſoribus Petri, per traditionem vſque adhuc Chriſtiani indulgentiis neceſſariò vtuntur.

Probatur Corollarium, Notabili ſecundo, cap. 3. 4. 5. 6.

Item, probatur authoritate ſcripturæ, Numerorum cap. 21. Cùm enim propter murmurationem Iudæorum, contra Dominum in deſerto, Dominus miſiſſet in populum ignitos ſerpentes: ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: *Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te. Ora, vt tollat à nobis ſerpentes. Orauit Moyſes pro populo. Et locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, et pone eum pro ſigno. Qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Hoc ſignum ſerpentis, ipſemet Magiſter & ſaluator noſter Chriſtus Dominus, ore ſuo ſanctiſsimo, Ioann. cap. 3. exponit, meritum futuræ paſsionis ſuæ: vnde habet Eccleſia cæleſtem theſaurum indulgentiarum. Per ſignum igitur futuræ paſsionis Meſsiæ Chriſti, ſub illa plaga, Iudæi duce Moyſe, indulgentiam conſequebantur & ſanabantur. Ergo Iudęi ſub Moyſe neceſſariò indulgentiis vtebantur, ſicut & nunc Chriſtiani ſub Clemente Octauo Summo Pontifice Romano, neceſſariò indulgentiis vtuntur.

Vnde Apoſtolus 1. ad Corint. 10. *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari: Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt: & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus, &c. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram. etc.* Similiter Exod. 11. & 12. Similiter tempore belli, vt ſcriptum eſt Exodi cap. 17. *Cumq; leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Patres exponunt & docent Moyſen manus in figura, & ſigno crucis leuaſſe, & per ſignum crucis victoriam Iudæos reportaſſe.

Similiter ſub Ezechiele Propheta, Ezechiel. cap. 9. ſcriptum eſt: *Et dixit Dominus ad virum, qui indutus erat lineis: Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna, Tau, ſuper frontes virorum gementium, & dolentium, ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit, audiente me: Tranſite per ciuitatem, ſequentes eum, & percutite*

percutite. Non parcat oculus veſter, neq; miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vſq; ad internecionem. Omnem autem, ſuper quem videritis Tau, ne occidatis, & à Sanctuario meo incipite.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Moyſes in paſsione & improperiis Chriſti, maiores æſtimauit repoſitas diuitias, quàm in theſauro Ægyptiorum: & propterea, vt eſſet particeps promiſsionum, & indulgentiarum, magis eligebat affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, ad Hebræ. vndecimo.

Probatio Corollarii, patet Concluſione ſecunda, Corollario primo, & ſequentibus.

Item, patet authoritate ſacræ ſcripturæ Pſalm. 83. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Pro maiori verò euidentia Corollarii, ſecundùm Anſelmum Cantuarien. Sciendum eſt: *quia Moyſes cùm eſſet puer, adoptatus eſt in filium à filia Pharaonis, quæ iuxta Ioſephum vocabatur Thermur, nec habebat legittimam prolem: & ideò volebat, vt Moyſes poſt patrem ſuum ſuccederet in regnum. Moyſes verò, cùm creuiſſet fide ſuccenſus, et regnum deſpiciens cum idololatria, negauit iuxta Apoſtolum, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, & reiecit regiam dignitatem, magis eligens affligi, & variis iniuriis ſubiici cum populo Dei, qui ſeruiebat in luto, & latere; quàm habere iucunditatem temporalis ac tranſitorij peccati: hoc eſt, fide ſuadente, maluit, & ſuper omnia elegit, affligi propter Deum ad bonum, quàm iucunditatem eorum in quibus erat peccatum, & quæ citò tranſeunt viuere. Peccatum enim putauit ſe lætari in aula, dum fratres ſui affligerentur. Ergo poſtquam creuiſſet, egreſſus eſt ad fratres ſuos filios Iſraël, & vidit afflictionem eorum: ipſe dico, æſtimans improperium Chriſti eſſe diuitias maiores theſauro Ægyptiorum: improperium Chriſti, ideſt, quod pateretur cum populo pro Chriſto: vel quod ſignificaret improperium inferendum Chriſto Pſalm. 68. poſt longa ſecula: vel quod ſuſtinuit à ſuis, ſicut & Chriſtus poſtea à ſuis. Hoc improperium magis elegit ipſe, & minus credidit opibus Ægyptiorum: quia per id æternis diuitiis ſe locupletari credebat, ſi pro Chriſto contumelias, & opprobria ſuſtineret. Nam aſpiciebat plena fide, in remunerationem æternam, quam Chriſtus pro ſe patientibus erat daturus: hoc eſt, idcirco elegit eſſe pauper, & deſpicabilis temporaliter apud homines: quia ſurſum cor habebat, & de æternis honoribus cogitabat, quos ſe per paupertatem, et patientiam adepturum ſperabat.* Hæc Anſelmus Cantuarien. ſuper cap. 11. ad Hebræos. Ergo Moyſes in Paſsione & impro-

improperiis Chriſti, maiores æſtimauit repoſitas indulgentiarum diuitias, quas elegit, & prætulit; quàm in theſauris Ægyptiorum, quos ſpreuit, & reliquit cum idôlis & regno.

COROLLARIVM TERTIVM.

Quoniam paſsio Chriſti, hoc egit implenda ſeu futura, quod iam facit impleta, atque præterita: propterea fides & indulgentiæ, tàm veteris quàm noui Teſtamenti, ſubiecto ſunt æedem, ſed ratione differunt: D. Auguſtinus.

Probatur Corollarium Notabili ſecundo, cap. 2. 3. 4. 5. Item, Notabili 4. cap. 2.

Item, probatur authoritate ſcripturæ vniuerſalis, ad Roma. cap. 3. *Non enim eſt diſtinctio: Omnes enim peccauerunt, et egent gloria Dei.* Item, 1. ad Corint. 10. vbi Apoſtolus dicit: *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt: & omnes mare tranſierunt: & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & mari. Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt: et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Item, 1. Petri cap. 1. *De qua ſalute exquiſierunt atq; ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, pronuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſsiones et poſteriores glorias, quibus reuelatum eſt: quia non ſibiipſis, nobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui Euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant angeli proſpicere.*

PRO MELIORI EVIDENTIA COROLLARII ſciendum eſt: quia eadem eſt fides antiquorum & noſtra, vt docent copioſè ſancti Patres, & Doctores ſcholaſtici: Nam D. Gregorius Magnus Homelia 16. ſuper Ezechielem, ſuper illis verbis Ezechiel. 40. *Et menſura vna frontium ex vtraque parte. Ex vtraque enim*, inquit, *parte, eſt menſura frontium: quia patres noſtri, vel prius à veteri, vel nunc à nouo teſtamento venientes, in vna mediatoris fide conueniunt.* Idem, Homel. 17. ſuper Ezechielem: *Sed qui præibant et qui ſequebantur, clamabant: Hoſanna. Præceſsit quippè Iudaicus populus, ſequutus eſt gentilis: & quia omnes electi, ſiue qui in Iudæa eſſe potuerunt, ſiue qui nunc in Eccleſia exiſtunt, in mediatorem dei et hominum crediderunt, et credunt; qui præeunt, & qui ſequũtur, Hoſanna clamant. Hoſanna autem latina lingua, ſalua nos dicitur: ab ipſo enim ſalutem & priores quæſierunt, & præſentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur: quoniam vna ſpes, vna fides eſt præcedentium, atque ſequentium populorum.* Eadem ergo

fides à Iudæis ad gentes eſt tranſlata,& manet integra in Eccleſia ſancta Catholica. D. AMBROSIVS lib 5. ſuper caput 7. Lucæ, titulo de miſsione diſcipulorum Ioannis ad Ieſum prope finem,dicit ſic: *Quia ſicut fides à veteri incipit teſtamento; ita impletur in nouo.*

D. AVGVSTINVS Epiſtola 89. ad Hilarium: *Vt ſciamus etiam antiquos iuſtos quicunque eſſe potuerunt, non niſi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem ſcilicet incarnationis Chriſti, quæ illis prænunciabatur, ſicut à nobis facta annunciatur. &c.* Vnde & Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 4. dicit: *Habentes autem eundem Spiritum fidei. &c.* Idem, Epiſtola 157. ad Optatum: *Eadem namq; fides eſt,* inquit, *noſtra & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Idem, de peccato originali, contra Pelagium & Cæleſtinum, lib. 2 cap. 25. *Eadem quippe & ipſi mundabantur fide, qua & nos. &c.* Idem repetit li. 10. Confeſs. cap 43. Idem Epiſtola 48. ad Vincentium, propè finem. Idem Epiſto. 115. circa medium. Idem lib. de vera & falſa Pœnitentia cap. 6. dicit: *Omnis bonus ante aduentum Domini ſaluus factus eſt, per venturum.* Idem de natura & gratia contra Pelagianos cap. 44. *Ea quippè fides iuſtos ſanat antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt, mediatoris Dei, & hominum, hominis Ieſu Chriſti, fides ſanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & reſurrectionis eius. Habentes ergo eundem Spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur.*

D. HIERONYMVS ſuper caput 2. ad Galat. *Sanctos autem, qui antiquitus fuerunt, ex fide Chriſti iuſtificatos: ſiquidem Abraham vidit diem Chriſti, & lætatus eſt. Et Moyſes maiores diuitias æſtimauit theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. Et Iſaias vidit gloriam Chriſti, vt Ioannes Euangeliſta commemorat: & Iudas de omnibus generaliter: Commonere, inquit, vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

NOTA. Quia D. Hieronymus ibidem fidem Patriarcharum, Prophetarum, & antiquorum, fidem imperfectam appellat: ergo Deus perfectiorem fidem requirit in Chriſtianis. Vnde Saluator Matth. ca. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Hæc eadem eſt ſententia Doctorum Scholaſticorum. Vnde D. Thomas ſuper cap. 11. ad Hebræ. Lect. 5. *Eadem eſt,* inquit, *fides antiquorum quæ & noſtra. &c. Eſt ergo vnus Deus, vnus mediator, vna fides, vnum Baptiſma, vna oblatio, qua conſumauit in æternum ſanctificatos.* ad Hebræ. cap. 10.

NOTA. Quia patres, vt D. Ambroſius & D. Auguſtinus, &c. Fidem appellant Regnum: ergo toto cap. 11. ad Hebræ. Apoſtolus tractat de fide

fide tàm Iudæorum, quàm Chriſtianorum in communi.

COROLLARIVM QVARTVM.

Quia indulgentię veteris teſtamenti, figura & vmbra fuerunt indulgentiarum Noui teſtamenti: itaque ſcripturæ, quæ leguntur de Iubileis & indulgentijs Veteris teſtamenti, ſunt priuilegia Iubileorum & indulgentiarum Noui teſtamenti.

Probatio Corollarij patet Notabili 2. cap. 3. 4. 5. 6. 7.

Item, probatur authoritate ſcripturæ 1. ad Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Item, probatur teſtimonio D. Auguſtini, qui lib. 4. cap. 1. contra Fauſtum Manichæum dicit ſic: *Veteris teſtamenti teſtificatio fidem Nouo conciliat. Vnde Dominus, poſteaquam reſurrexit à mortuis, ſeq; non ſolùm intuendum diſcipulorum oculis, ſed etiam contrectandum manibus obtulit, ne quid tamen cum ſuis mortalibus & carnalibus ſenſibus fallaciter agi arbitrarentur, magis eos de veterum librorum teſtificatione firmauit, dicens: Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Non itaq; ſpes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa eſt, quandoquidem nec ipſos illius temporis ſanctos, & ſpirituales viros, Patriarchas & Prophetas, his terrenis rebus fuiſſe deditos, credimus. Intelligebant enim, reuelante ſibi ſpiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res geſtas & dictas futura figuranda, & prænuncianda decerneret, magisq; deſiderium eorum de Nouo teſtamento erat; ſed præſens functio corporalis ad ſignificanda noua ventura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantùm lingua, ſed & vita prophetica fuit: carnalis autem populus promiſſis vitæ præſentis inhærebat, de quo tamen etiam populo nihilominus ſignificabantur futura.* Hæc D. Auguſtinus vbi ſuprà.

Notandvm verò, Si quis fortè reiiciat authoritates ſcripturę veteris Teſtamenti, huiuſmodi cauendum & metuendum eſt, ne incidat in periculoſam hæreſim Manichęorum: qui reiiciunt libros veteris Teſtamenti. Apoſtolus autem ad Roma. cap. 15. vbi multas ſcripturas veteris Teſtamenti adducit, expreſſe dicit: *Quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.*

Item, ad Hebr. 10. *Vmbram enim habet lex futurorum bonorum.* Idem ad Coloſ. 2. Item Nota, quia S. Thomas ſuper cap. 7. Ioann. lect. 2. dicit: *In lege humana, præcepta poſteriora præiudicant prioribus: ſed in diuinis eſt è conuerſo.*

COROLLARIVM QVINTVM.

Vel ſola traditio Sanctorum Patrum, poſſeſsio, & perpetuus vſusfructus indulgentiarum in Eccleſia Catholica, benè legittimè, & ſufficienter probant, & confirmant cauſam indulgentiarum, contra Hæreticos.

Probatur Corollarium, Notabili ſecundo, cap. 2. & 3.

COROLLARIVM SEXTVM.

Vbicunq; in ſacris Cõciliis, & Canonibus hiſtoria indulgentiarum habetur; inducitur non tanquam noua inſtitutio, ſed tanquam memoria rei antiquæ.

Probatur Corollarium, Notabili tertio, cap. 5. Item, ex ſupradictis & ex ſequentibus patet. Item, confirmatur teſtimonio Scholaſticorum, & præcipuè Dominici à Soto Diſtinct. 21. Quæſt. 1. Arti. 3. ſtatim à principio.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Sicut morbus & medicina ſunt ſimul naturà; ita peccatum & indulgentia ſimul naturà.

Probatio Corollarij, Notabili 2. cap. 6. Item, videtur Corollarij probatio dependere ex principio Logicorum, qui relatiua dicunt eſſe naturà ſimul. Item, ex principio Phyſicorum, qui docent: quia poſito vno contrario in natura, neceſſariò ponitur & aliud. Item, ex principio Theologorum: ergo videntur quaſi omnes facultates in eo Corollario conuenire.

COROLLARIVM OCTAVVM.

Indulgentię in ſtationibus Romæ, à Beato Gregorio ſunt inſtitutę.

Corollarii probatio, patet Notabili 3. cap. 5.

Item, probatur teſtimonio D. Thomæ ſuper 4. Senten. Diſtin. 20. Et hæc eſt communis ſententia Scholaſticorum.

COROLLARIVM NONVM.

Non eſſe laborandum de nomine, quando de re conſtat.

Probatio Corollarii, patet Notabili ſexto, cap. primo.

Item, eſt commune Axioma in omnibus ſcholis vſu receptum, & ita confirmatum, & approbatum; vt non egeat probationis.

COROLLARIVM DECIMVM.

Quòd ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt,

ria eſt, multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ, 2. ad Corinth. cap. 3. Et Exodi cap. 34.

Probatur Corollarium, Notabili ſecundo cap. 3. &c. Et Notabili 3.

D. Thomas Aquinas, ſuper iiſdem verbis Apoſtoli, arguit ſic: *Gloria magis debetur iuſtitiæ, quàm damnationi: ſed miniſterium noui teſtamenti, eſt miniſterium iuſtitiæ: quia iuſtificat interius viuificando: miniſterium autem veteris Teſtamenti, eſt miniſterium damnationis occaſionaliter: quia litera occidit, Spiritus autem viuificat. Cùm ergo miniſtratio damnationis, id eſt, miniſtratio veteris Teſtamenti, quæ occaſionaliter eſt cauſa damnationis, vt dictum eſt, eſt in gloria, quæ apparuit in facie Moyſi; conſtat quòd multò magis abundat in gloria: id eſt, dat abundantem gloriam miniſtris eius. Miniſterium iuſtitiæ, id eſt Noui teſtamenti, per quod datur Spiritus, per quem eſt iuſtitia, & conſumatio virtutum, Prouerb. 3. Sapientes gloriam poſſidebunt.*

Idem, ibidem ſecundo argumento arguit ſic: *Illud, quod datur vt tranſeat, nihil eſt in reſpectu ad illud, quod datur vt ſemper maneat. Si ergo Teſtamentum vetus, quod euacuatur, tollitur*: 1. Corint. 14. *Cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur: per gloriam enim Moyſi miniſtratum, ſaltim per particularem gloriam: conſtat, quòd Teſtamentum nouum manet: quia hîc incohoatur, & perficitur in patria*, Lucæ 21.

Sicut ergo Noui Teſtamenti maior eſt gloria, quàm Veteris Teſtamenti; ita & indulgentiarum Noui Teſtamenti maior virtus & gloria, quàm indulgentiarum veteris Teſtamenti, quæ quidem euacuatur in indulgentiis noui Teſtamenti, vt dictum eſt Notabili 5. cap. 3.

Anselmvs Cantuarien. ſuper iiſdem verbis Apoſtoli, dicit ſic: *Licèt hæc miniſtratio eſſet mortis, id eſt, per Moyſen miniſtrata, quamuis præuaricatoribus eſſet cauſa mortis; tamen ita miniſtro Moyſi fuit in gloria, vt filij Iſraël non poſſent aciem viſus ſui intendere in faciem eius: propter gloriam vultus eius, quam acceperat ex colloquio Domini, non poterant aſpicere ſplendorem vultus eius. Qua re ſignificatum eſt: quia ſpiritualem ſenſum legis, non erant viſuri. Facies enim Moyſi ſplendida, figuram habebat veritatis, quæ figura euacuatur, per manifeſtationem veritatis: id eſt, viſibilis gloria Legis, euacuatur per gloriam Euangelij. Ita enim euacuatur, vt proficiat, ſicut infantia euacuatur in iuuentute, & ſemen in fructu. Euacuatur ergo Moyſi gloria, quoniam omnes vmbræ ſignificantes euacuantur, cùm res quæ ſignificatur aduenerit. Quemadmodum enim ſcientia, quæ nunc eſt, euacuabitur cùm venerit illa, quæ erit facie ad faciem; ſic & iſta, quæ in vmbris tradita erat Iudæis in veteri Teſtamento, neceſſe fuit euacuari reuelatione noui Teſtamenti. Itaq; ſi miniſtratio mortis fuit Moyſi in tanta gloria; quomodo non multò magis*

 nobis

nobis erit in gloria miniſtratio Spiritus, id eſt, nouum Teſtamentum, quod miniſtramus, in quo fides impetrat Spiritum viuificatorem? Erit vtiq; nobis in gloria multò magis, quàm vetus fuit Moyſi. Illa enim gloria Moyſis fuit temporalis, hæc autem æterna: illa terrena, hæc cœleſtis: vel in ſeipſo habet nouum Teſtamentum maiorem gloriam, quàm vetus: quia maior gloria eſt peccatorem iuſtificare, quàm damnare. Quamuis enim iuſtè damnet, tamen ad laudem magis proficit ſi indulgeat, vt poſſit ſe reus corrigere, & ad iuſtitiam reſurgere. Hæc Anſelmus.

Ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi. Ariſtoteles lib. 2. de anima: Excellens ſenſibile, corrumpit ſenſum.

CONCLVSIO QVINTA.

EX ſuperabundantia ſatisfactionum, ſupererogationum, paſsionum, & meritorum Meſsiæ, mediatoris, redemptoris, & ſaluatoris Domini noſtri IESV CHRISTI, Beatæ Dei genitricis virginis Mariæ, & omnium electorum, à primo iuſto, vſq; ad vltimum, hoc eſt capitis, & membrorum, ſicut Synagoga, ita Eccleſia Catholica, habet cæleſtem theſaurum indulgentiarum.

Veritas Concluſionis, patet Notabili primo, cap. 4. Item, probatur authoritate ſcripturæ, Pſalm. 2. Item, Pſalm. 21. Item, Pſalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exſoluebam.* Item, Pſalm. 117. Item, Pſalm. 129. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Item, ad Roma. 8. *Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis, &c.* Item, 2. ad Corinth. 8. Item, ad Epheſ. 3. ad Philippen. 2. Item, ad Coloſ. 1. 2. 3. &c. Et hæc de Chriſti meritis.

DE MERITIS autem Beatæ Dei genitricis virginis Mariæ, Lucæ 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, &c.*

DE MERITIS verò Sanctorum electorum, Iob cap. 6. *Vtinam appenderentur, &c.* Item, ad Coloſ. cap. 1. *Ego Paulus adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, &c.* Item, probatur teſtimoniis Sanctorum Patrum, & præcipuè Scholaſticorum. Nam D. Thomas Aquinas Tilmanus apud Ioannem Eckium, &c. dicunt ſic: *Scito tibi theſaurum indulgentiarum fieri ex ſuperabundantia meritorum,* quatenus ſatisfactoria erant, *Chriſti & ſanctorum.*

DE SVPERABVNDANTIA paſsionum Chriſti pro nobis, dicitur ad Coloſs.

Coloſs. cap. 1. & 2. & 1. Ioan. cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non noſtris autem tantùm, ſed totius mundi.* Vnde manifeſtum eſt, Paſsionem Chriſti ſufficienter ſatisfacere pro toto mundo, ac per hoc, cùm exequutiuè pro paucis tantùm ſatisfaciat, infinitum theſaurum ſatisfactionum Chriſti ſupereſſe, non ſolùm in ſacramentis, verùmetiam extra ſacramenta, quibus eadem paſsio Chriſti ſatisfecit.

De Sanctorvm autem paſsionum & meritorum ſuperabundantia, quò ad officium ſatisfaciendi pro nobis, patet ex Iob cap. 6. vbi Iob dicit: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Ex his Iob verbis claret, ipſum plus paſſum fuiſſe, quàm pro peccatis ſuis pati debuerit. In ſuperabundantia autem paſsionum, conſiſtit ſuperabundantia ſatisfactionum. Et hoc idem de multis ſanctis apertiſſimum eſt.

De Sanctorvm verò intentione, quod ſcilicet voluerint pati, paſsique ſunt libenter, non ſolùm pro ſe ſed etiam pro nobis, teſtatur Apoſtolus ad Coloſs. cap. 1. dicens: *Ego Paulus miniſter, nunc gaudeo in paſsionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Vide, vide, quia miſeriæ ſanctorum adiungendæ ſunt preſſuris Chriſti, ad communem theſaurum & vtilitatem Eccleſiæ. Et hic eſt cæleſtis theſaurus meritorum, de quo dicit Eccleſia, *Precibus, & meritis ſanctorum.* Nam, quod Paulus adimpleuit, quis negabit de alijs ſanctis crucem Chriſti portantibus, & eum ſequentibus? vt dicitur Corollario 4. Ergo ex ſuperabundantia ſatisfactionum, ſupererogationum, paſsionum, & meritorum Chriſti, Beatæ Dei genitricis virginis Mariæ, & omnium electorum, à primo iuſto vſque ad vltimum, hoc eſt, capitis & membrorum, colligitur, adimpletur, cumulatur, perficitur, ſeruatur, & diſpenſatur, in Eccleſia Catholica cæleſtis theſaurus indulgentiarum; quo etiam Patres in veteri lege, in fide venturi Meſsiæ Chriſti vtebantur. Vnde Saluator Lucæ cap. 11. dicit: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.*

Porrò, eundem cæleſtem theſaurum eſſe infinitum, probatur ſic. Quantitas effectus, ſequitur quantitatem ſuæ cauſæ. ſed ſatisfactionum, paſsionum, & meritorum theſaurus eſt infinitus: igitur & indulgentiæ, de quibus propter influentiam capitis in membra, & propter communionem ſanctorum Catholici participant, ſunt infinitæ.

Maior eſt Ariſtotelis lib 3. Topicorum cap. 1.

Minor ex ſuprà dictis patet.

De Quinta Concluſione, eſt controuerſia inter Catholicos & hæreticos: nam Catholici hanc Concluſionem, vt ponitur Catholicè in ſuo ſenſu & forma, non ſolùm affirmant, ſed etiam credunt cum Patribus. CONTRA Lutherus, Lutherani ſimpliciter negant. Nam Gabriel Prateolus in Cathalogo hæreticorum ſcribit: quia circa Annum Domini M. D. XXIII. ſub Carolo V. Cæſare Germano, & Clemente Septimo huius nominis, Summo Pontifice, fuit quidam Iacobus Præpoſiti Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Flander natione, & ſecta Lutheranus. Hic, cùm apud Antuerpiam varijs in locis Lutheri dogmata loco Euãgelij diſſeminaſſet; tandem cõprehenſus, & ad Palinodiam decantandam damnatus, in maiori ecclеſia Bruxellenſi, coram ingenti hominum multitudine, Sacra Imperiali Maieſtate, cum ſua Curia illic reſidente, ſolennem fecit ſuorum dogmatum reuocationem. Is inter alios errores, tutabatur hunc errorem, Nulli merita ſanctorum applicari poſſunt: Omnia opera ſanctorum peccata ſunt, & egent miſericordia ignoſcente & remittente: Nullus eſt Eccleſiæ theſaurus præter Chriſti merita, quæ duntaxat per ipſum Chriſtum vnicuiq; ſecundùm ſuam fidem applicantur: Lutherus cum ſua doctrina, non eſt legittimè per ſedem Apoſtolicam condemnatus. &c. Sed idem in errorem priſtinum relapſus, in eundem lapidem offendit: ex quo effectum eſt, vt fratres illius Conuentus, quos ille ſeduxerat, vinculis & cuſtodijs ſint mancipati, & Conuentus eisdem ex mandato Adriani Sexti, Summi Romanorum Pontificis, apud Antuerpiam funditus deletus ſit, & ſolo adæquatus. Hæc Prateolus.

Quamobrem, quia Catholici Concluſionem cum ſuis punctis affirmant, Hæretici verò negant: propterea quæritur, AN PASSIONES, MERITA, ET SATISFACTIONES SANCTORVM, VNA CVM CHRISTO THESAVRIZENT IN ECCLESIA THESAVRVM INDVLGENTIARVM? Et videtur quòd non: quia ſcriptum eſt Iſai. cap. 63. *Tu enim Pater noſter, & Abraam neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos: tu Domine pater noſter, redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum.*

Item, Ieremiæ cap. 15. Et dixit Dominus ad me. *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eijce illos à facie mea, & egrediantur. Quòd ſi dixerint ad te, Quò egrediemur? dices ad eos. Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies dicit Dominus: gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & beſtias terræ,*

as terræ, ad deuorandum & diſsipandum. Et dabo eos in feruorem vniuerſis Regnis terræ, propter Manaſſen filium Ezechiæ regis Iuda, ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem. Item, Ioan. cap. 5. *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis, &c.*

Item, ad Roma. 8. *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, ad futurum gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Et hoc ipſum Rationibus volunt probare.

PRIMA RATIO. Tota Scriptura paſsim teſtatur & demonſtrat, vnum ſolum Chriſtum eſſe ſatisfactorem, pro peccatis totius mundi: igitur merita Sanctorum ad theſaurum Eccleſiæ non pertinent.

CONSEQVENTIA ab authoritate ſcripturarum, & patet ſic: quia ſi ille vnus ſufficit, quid opus eſt alieno vti patrocinio?

ANTECEDENS patet authoritate Iſaiæ cap. 53. *Poſuit Deus*, inquit, *in eo iniquitates omnium noſtrum.* Et Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Item, ad Coloſ. cap. 1. *Per ſanguinem crucis, omnia reconciliata ſunt, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt.* Item, 1. Petri 2. *Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, ſuper lignum.* Item 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

SOLVITVR ENTHYMEMA. Negatur Conſequentia: quia licèt ſacra ſcriptura teſtatur Chriſtum ſatisfeciſſe: tamen nuſquam excludit merita Sanctorum.

SECVNDÒ ſoluitur ſic: quia Chriſtus qui eſt caput, & Sancti membra eiuſdem capitis ſunt, vnum myſticum corpus: ergo hæc non ſunt diuidenda: quia qui diuidit Chriſtum, Antichriſtus eſt.

TERTIÒ ſoluitur. Aliud eſt liberari à pœna æterna, & à culpa peccati: aliud verò à temporalium pœnarum ſupplicio. Hæc enim diſtinguuntur ab inuicem, ſcilicet remiſsio culpæ, & remiſsio temporalium pœnarum. Siquidem culpa, ira, ſiue pœna æterna, ſanguine Chriſti tolluntur: pœnæ verò temporales, bonis operibus, & fructibus pœnitentiæ, 1. ad Corinth. 11. *Quòd ſi noſmetipſos diudicaremus, non vtiq; iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*

SANE, triplex reperitur ſatisfactio coram Deo, coram proximo, & coram Eccleſia. De ſatisfactione proximo, Math. 5. & 6. loquitur Dominus: *Vade reconciliare fratri tuo.* Lucæ cap. 6. *Dimittite, et dimittemini*

temini: Date, & dabitur vobis. ad Roma. 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit:* Ergo qui odit proximum, præuaricator eſt legis. De ſatisfactione quę debetur Deo, certum eſt, neminem Deo ſatisfacere poſſe, niſi ſatisfecerit & proximo. Satisfactio coram Eccleſia, olim erat in pœnitentia publica, quæ Satisfactio dicebatur: Hodie Eccleſia ad pœnas arbitrarias reduxit. Ex his ergo patet à culpa, & à pœna æterna, ſanguine Chriſti nos liberari: à pœnis verò temporalibus, meritis & ſatisfactionibus Sanctorum plurimum adiuuari.

SECVNDA RATIO. Scriptum eſt, Ioan. 19. & ad Epheſ. cap. 4. Chriſtum conſummaſſe & adimpleuiſſe omnia: igitur Apoſtolus nullas paſsiones pro Eccleſia adimpleuit.

CONSEQVENTIA ab authoritate ſcripturarum.

ANTECEDENS Ioan. 19. & ad Epheſ. cap. 4.

RESPONDEO. Negatur Conſequentia. nam Chriſtus Dominus adimpleuit ſuo tempore, ſuo loco, & ſuo modo: & Apoſtolus vt miniſter ſuo loco, ſuo tempore, & ſuo modo: & tamen illud manet verum, quod Apoſtolus dicit: *Adimpleo quæ deſunt paſsionum in carne mea, pro corpore illius, quod eſt Eccleſia.* Huc pertinet & illud præclarum teſtimonium, Iob capite 6. vbi dicit: *Vtinam appenderentur peccata, quibus iram merui: & calamitas, quam patior in ſtatera; quaſi arena maris, hæc grauior appareret.* Quòd ergo Iob plus pœnarum ſuſtinuit, quàm promeruit; in bonum totius corporis Eccleſiæ ceſsit, cuius erat ipſe membrum: *quia particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Adde, quia Apoſtolus ad Galat. cap. 2. dicit: *Chriſto confixus ſum Cruci, & viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus:* igitur opera, paſsiones, & ſatisfactiones Pauli, erant opera Chriſti in Paulo viuentis & operantis. Si quid ergo detraxeris meritis ſancti Pauli, detrahas neceſſe eſt meritis Chriſti.

SECVNDO ſoluitur per inſtantiam: quia ad Epheſ. cap. 4. dicitur Chriſtum dediſſe in Eccleſia alios quidem Apoſtolos, Prophetas, paſtores, Doctores, propter conſumationem Sanctorum. &c.

TERTIA ſolutio, Chriſtus adimpleuit omnes Paſsiones, quæ de ipſo ſcriptæ erant: ideoque cùm Spiritum redderet Patri, Euangeliſta commemorat ſic fuiſſe locutum, *Conſumatum eſt:* id eſt, quæ de me ſcripta, & dicta fuerant, omnia ſunt completa. Chriſti ergo paſsionibus defuit nihil, quin à Chriſto fuerit ſuſceptum, perfectum, & abſolutum.

lutum. Fateor rem ita ſe habere, ſed attende quid diuinus Apoſtolus dicat: *Adimpleo*, inquit, *ea quæ deſunt paſsionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, id eſt, Eccleſia.* Relictæ ergo erant paſsiones Chriſti in Eccleſia ſua adimplendæ: non dixit, *paſsiones Eccleſiæ*, ſed, *paſsiones Chriſti*: ſicut dictum eſt Saulo Act. 9. perſequutionem in Chriſtianos obſtinatiſsimo animo commouenti: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Quidquid certè in beneficium, vel detrimentum membrorum corporis cedit; in caput redundat corporis: ſi ergo Paulus adimplet, id eſt, ſuis meritis & laboribus pro alijs fidelibus ſatisfacit, & coronam iuſtitiæ pro ſuis certaminibus eſt conſequutus; quid reliquum eſt dicendum, niſi ſimiliter aſſerere, opera S. Apoſtoli non ſolùm ſibi fuiſſe meritoria; ſed etiam alijs ſatisfactoria: non enim de ſe gloriatur, ſed in Domino: *Quid habes quod non accepiſti?*

TERTIA RATIO. Sanctus Apoſtolus ad Romanos cap. 8. dicit: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ergo ex ſatisfactionibus, paſſionibus, & meritis ſanctorum nihil ſuperabundat, nihil redundat, nihil ſupereſt, quod in theſaurum Eccleſiæ deponatur, ſeruetur, & pro indulgentijs diſpenſetur, & per conſequens alijs merita ſanctorum ſuffragari non poſſunt.

CONSEQVENTIA, ab authoritate ſcripturarum.

ANTECEDENS, patet in ſcripturis.

SOLVITVR. Negatur conſequentia, propter cauſas ſuprà dictas.

PORRÒ autem D. Thomas Aquinas ſuper cap. 8. ad Romanos Lectione 4. hoc Enthymema ſoluit ſic: *Paſſiones huius temporis, ſi ſecundùm ſe conſiderentur, multùm deficiunt à quantitate huius gloriæ. Iſaiæ 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Sed ſi conſiderentur huiuſmodi paſſiones, in quantum eas aliquis voluntariè ſuſtinet propter Deum, ex charitate quam in nobis Spiritus S. facit, ſic ex cõdigno, per huiuſmodi paſſiones homo meretur vitam æternam: nam Spiritus ſanctus eſt fons, cuius aquæ, id eſt, effectus, ſaliunt in vitam æternam, vt dicitur Ioan. cap. 4.*

SECVNDA SOLVTIO. Quamuìs temporalia & illa cæleſtia æterna differunt inter ſe, plus quàm in infinitũ: tamen præueniente & ſubſequente gratia Chriſti, ſicut actus, ita paſsiones ſi fuerint ordinaria, hoc eſt, ſi in fide, ſpe, charitate, & ſi bona intentione & voluntate, cum requiſitis circumſtantijs, propter Deum, modo & ordine debito ſuſcipiuntur, & patiuntur; procul dubiò vt condignæ à Deo acceptantur. Om-

tur. Omnia opera tua operatus es in nobis Domine: ſed ſi ſunt caſuales, extraordinariæ, non propter Deum ſuſceptæ, ſunt malæ. Vnde Petrus Apoſtolus 1. Pet. cap. 4. *Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

TERTIA SOLVTIO. Premium de condigno, ſiue condigni, merito reſpondeat neceſſe eſt, quod in Chriſto potiſsimum ſplendet, qui & ſibi & nobis meruit, & premium vtrumque tàm eſſentiale quàm accidentale recepit. Vnde ſi nihil reſtat de meritis ſanctorum, conſequēs eſt, vt nihil reſtet de meritis Chriſti; recepit enim tàm animæ, quàm corporis gloriam pleniſsimam. Amplius, quemadmodum oratio, ieiunium, eleemoſyna, & alia pia opera ſanctorum, non ſolùm ipſis profuerunt; ſed & alijs, ſicut oratio Dauid, & ipſum regem & populum Hieroſolymitanum ab angelo percutiente liberauit. Et oratio Ezechiæ Regis ab exercitu Sennacherib. Sic etiam ſanctorum ſatisfactiones, paſsiones, & merita, non ſolùm ſibi profuerunt, verùmetiam & alijs, qui in hoc corpore degentes meruerunt, vt alijs poſſent prodeſſe. *Omnia*, inquit Paulus 2. ad Timoth. 2. *ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur.*

QVARTA RATIO. Omnia facta ſemper vbique ad eam intentionem reduci, interpretari, accipi, & iudicari debent, qua fiunt. ſed omnes ſancti egerunt & paſſi ſunt fortia, non intentione pro alijs ſatisfaciendi, aut indulgentias alijs theſaurizādi; ſed ea qua prudentes virgines pro ſe, Matth. 25. agunt, & dicunt, Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis: igitur merita ſanctorum ad indulgentiarum theſaurum addunt nihil.

MAIOR vera. MINOR Matth. 25.

SOLVTIO. Negatur Conſequentia: quia de ſatisfactione arguitur, non in genere; ſed extra genus: nam ſtrictè intentionem alienam hæretici interpretantur, & quia Minor eſt falſa.

SECVNDA SOLVTIO. De Chriſto ſatis conſtat, quòd ſuos labores & ſanguinem nobis applicauerit: *Ergo*, inquit, *non pro eis tantùm rogo; ſed & pro illis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Pro omnibus igitur ſe obtulit, qui pro omnibus dignatus eſt naſci, & mori. Sed de iuſtis viris habemus etiam teſtimonium diuini Pauli Apoſtoli, ad Rom. 10. *Cupiebam anathema eſſe pro fratribus meis. &c.* & 2. ad Corin. 13. *Impendam, & ſuperimpendar in obſequium fidei veſtræ.* Cupiebat ergo S. Paulus Apoſtolus ſuos labores eſſe maximè communes, volebat ſuis laboribus omnibus prodeſſe. Sanè, nemo Deo gratus & acceptus ſine cha-

ſine charitate inueniri poteſt: charitas enim facit omnia communia: quia non quæ ſua ſunt quærit, ſed quæ aliorum. Hac ergo intentione ſancti viri multa egerunt, & multa paſsi ſunt fortia, vt ſibi & omnibus qui ſunt corporis Eccleſiæ membra prodeſſe poſſent; & ſi non actuali, virtuali tamen intentione, quæ ad hoc officium & beneficium peragendum poteſt ſufficere.

CONTRA. Ioannes dicit 1. Ioan. cap. 5. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et in Oratione Dominica quilibet orat: *Et dimitte nobis debita noſtra.* Igitur nihil ſuperabundat, nihil ſupereſt ſanctis hominibus, quod in nos poſsit erogari.

CONSEQVENTIA ab authoritate ſcripturarum, & quotidiana oratione. ANTECEDENS ex Euangelio & Canonica S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ.

SOLVITVR. Non valet Conſequentia: nam ſcripturæ allegatę, non de debitis pœnarum; ſed potius de peccatis venialibus loquuntur, à quibus, excepta ſancta Dei genitrice virgine Maria, liber extitit nemo, iuxta illud Prouerb. 14. *Septies in die cadit iuſtus.* Venialia autem non obſunt iuſtis viris, quo minus alijs ſiue nobis ſuppetias ferre poſsint. Illa enim, id eſt, venialia, aut ſola oratione, aut feruore dilectionis abluuntur, & ſicut cęra à facie ignis, & nubes à facie venti delentur. D. Hieronymus. *Si cadit, quomodo iuſtus? ſi iuſtus, quomodo cadit? ſed Iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit: & non ſolùm ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties delinquenti. ſi conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur: Cui plus donatur, plus diligit.* Hęc ille.

QVINTA RATIO. Ille cenſendus eſt iuſtus & ſanctus, qui imagini filij Dei conformis efficitur, ad Rom. 8. ſed hanc iuſtitiæ metam, ſe non attigiſſe diuinus Paulus 1. ad Corinth. 4. profitetur: Nihil enim, inquit, mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Si autem tantus Paulus de ſe ipſo hoc ſentit, & dicit; quid alij de ſe ſentire debent? igitur ſancti non plura ſibi parauerunt bona, quàm ipſis neceſſaria eſſent ad ſalutem, vt ex reliquijs eorum, aliquid nobis ſupererogaretur.

MAIOR à definitione. MINOR, 1. ad Corinth. cap. 4.

SOLVTIO. Duplex eſt meta nobis propoſita, Iuſtitiæ vna, Perfectionis altera. Et primam quidem omnes iuſti attigerunt; ad eam enim ſola mandatorum obſeruatione peruenitur. Secunda verò, à Doctoribus ſubdiuiditur, in Perfectionem in genere, & in Perfectionem ab-

ſolutam. Primam autem multos adeptos fuiſſe ſcriptura teſtatur. *Noë vir iuſtus & perfectus in generationibus ſuis.* Diuinus Paulus ad Philip. 3. *Quicunque ſumus perfecti.* De ſecunda verò in eodem capite negat ſe eſſe perfectum: *Non quòd perfectus ſim: ſequor tamen, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum.* Erat enim diuinus Paulus perfectus viator, ſed non perfectus comprehenſor. Itaque licèt ſancti & iuſti homines Chriſti imagini per omnia conformes eſſe nequiuerunt; ita tamen copioſiſsimis donis Spiritus ſancti cumulati ſunt, vt illorum merita membris Eccleſię plurimum proficerent ac prodeſſent, ad Romanos 8. & in cumulum diuitiarum, ac Eccleſiæ Catholicę theſaurum cederent. Quamobrem rectè dictum eſt à Clemente Papa, huius nominis Sexto in Extrauagan. Vnigenitus: de Pœnitent. & remiſs. *Non,* inquit, *corruptibilibus auro & argento, ſed ſuiipſius agni incontaminati, & immaculati, pretioſo ſanguine nos redemit Dei filius, quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad verbum, pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet; ſed copiosè, veluti quoddam profluuium noſcitur effudiſſe; ita vt à planta pedis, vſque ad verticem capitis, nulla ſanitas inueniretur in ipſo. Quantum ergo exinde, vt neque ſuperuacanea, inanis, atque ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit, volens ſuis theſaurizare filijs pius pater, vt ſit infinitus theſaurus hominibus. Ad cuius quidem theſauri cumulum, Beatæ Dei genitricis virginis Mariæ, omniumq; electorum merita adminiculum præſtant.* Hæc ille.

SEXTA RATIO. Illa opera non ſunt cenſenda ſatisfactoria, & modum habere iuſtitiæ, quæ modum habent impetrationis. ſed huiuſmodi ſunt merita ſanctorum, quibus conati ſunt pro virili gratiam Dei ſibi reconciliare, quam ſummis laboribus quęrebãt, & ſummis precibus efflagitabant: igitur merita ſanctorum pro alijs ſatisfactoria eſſe non poſſunt.

MAIOR vera. MINOR probari poteſt ſcripturis & exemplis.

SOLVTIO. Negatur Conſequentia: nam in peccato duo veniunt conſideranda, ſcilicet, ratio Pœnæ, & ratio Culpæ. Culpæ verò ratio, qua Dei inimici efficimur per modum impetrationis, & proprij meriti, ſaltem de congruo remouetur: Pœnæ autem ratio per modum iuſtę compenſationis, vel de proprio, vel de communi, & alieno ſatisfaciendo condonatur.

Quippè, quia hominis nondum iuſtificati nulla poteſt eſſe iuſtitia, quæ iuſtæ compenſationis rationẽ ſubire valeat; poſt conſecutam verò iuſti-

rò iuſtitiam, cùm eius reatus & obligatio cum Dei amicitia non pugnet, per modum iuſtæ ſolutionis & compenſationis redimi poteſt: idque potiſsimum ex gratia Dei acceptantis, qui largitus eſt gratiam, vt ſanctorum merita alijs membris Eccleſiæ poſsint prodeſſe. Merita ergo ſanctorũ duplici ſunt prædita virtute: ſcilicet, Merendi, & Satisfaciendi, vt dictum eſt ſatis. Porrò virtus illa Satisfaciendi pro mortalium peccatorum commiſsione, locum non habuit in Sancto Ioanne Baptiſta, in ſanctis Apoſtolis, & in quàmplurimis inſigni ſanctitate præditis, ſicut legitur de S. Zacharia,& S. Elizabeth Lucę 1. Cùm ergo illis non eſſet neceſſaria, & ſine premio non manſerit; in Eccleſiæ theſaurum ceſsit. Vnde non ſunt audiendi qui dicunt, in premium accidentale virtutem illam Satisfactoriam ſanctis hominibus ceſsiſſe; alioqui de Chriſti meritis, quæ perſonale, eſſentiale, & accidentale premium acceperunt, ſimilis ratio, & iudicium ſimile poſsit haberi. Inſuper, eſſentialis, ſiue accidentalis premij coronæ, non ſatisfactoriæ, ſed meritoriæ potius virtuti innituntur.

SEPTIMA RATIO. Petrus & eius ſucceſſores, authoritate clauium ſibi à Chriſto conceſſarum, poſſunt hanc gratiæ largitionem indigentibus impendere. Ergo non habent opus theſauro Eccleſiæ vti: præſertim cùm verba Saluatoris, Matth. 16. de huius theſauri patrocinio nullam fecerint mentionem.

CONSEQVENTIA ab authoritate.

ANTECEDENS patet legenti ſcripturas.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia. Summus Pontifex poteſt per modũ auxilij, ſiue ſuffragij, nempè ſola Eccleſiaſtici theſauri applicatione indulgẽtias tribuere, & pœnas peccatis mortalibus impoſitas relaxare. Etenim, ſi liberam habet huius theſauri diſpenſationẽ; poterit eo vti prout decet, & Eccleſiæ neceſsitas & vtilitas poſtulat. Ineſt quoq; ſiue conceſſa eſt Petro, eiuſque ſucceſſoribus, poteſtas iuriſdictionis, ſiue authoritatis, qua ſine priori vti poteſt. Eſt ei demùm vtraque poteſtas ſimul, quando vtraque vtitur: itaque reatus & obligationes peccatorum poteſt vtroque modo relaxando condonare; vel ſola poteſtate à Chriſto accepta, vel theſauri applicatione, vel vtroque modo ſimul. Optimum autem eſt, quãdo pœnitens in ſeipſo punit, quod malè geſsit: tunc enim proſunt indulgentiæ; cùm læto, & contrito corde ſuſcipiuntur. Quòd ſi pœnitens propter impotentiam, aut aliquam aliam rationabilem cauſam, ſeipſum punire non valet; tunc Papali authoritate redimitur & liberatur. Aliquando verò theſauro & iurisdi-

iuriſdictione vtitur, quando peccator clauibus Petri ſe præbet idoneum & docilem, pręſertim quando non ſatisfacit eo animi feruore quo debet. SED DICES, Si ita res ſe habet, igitur qui per indulgentias conſecutus eſt pœnarum temporalium remiſsionem, iniunctam non tenetur adimplere pœnitentiam. DICI poteſt, eum qui indulgentias adeptus eſt, adimplendam pœnitentiam non teneri, patet in capite, Cùm ex eo: de pœnitentiis & remiſsionibus. quod enim erat per pœnitentiam ſatisfaciendum; pœnitens per indulgentias ſatisfecit. Sed hæc intelligenda ſunt de indulgentiis generaliter, vel ſpecialiter conceſsis: de pœnitentiis tantùm iniunctis. Conſultius tamen aget, ſi iniunctam adimpleuerit pœnitentiam, eò quòd opera pœnalia, & ſunt ſatisfactoria, ſi exiſtant in gratia pœnitentes: & medicina peccatoribus ad peccata extenuanda, abolenda, prætereunda, & poſtea fugienda.

SED CONTRA EST, quod in probatione Concluſionis poſitum eſt. Item, 2. ad Corinth. cap. 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Item, Actuum cap. 9. *In Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas, hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis quas faciebat.*

Atque hoc ipſum pluribus rationibus poteſt confirmari.

PRIMA RATIO. Scriptum eſt 1. ad Corinth. cap. 6. Corpora Chriſtianorum eſſe templa Spiritus ſancti: tunc ſic formatur Ratio.

Ex bonitate & virtute agentis operum merita, penduntur, æſtimantur, & cenſentur. ſed Spiritus Sanctus in faciendis bonis operibus in nobis eſt inſtar primi mouentis, & principalis agentis, noſtro libero arbitrio cooperante: igitur merita Sanctorũ, virtute Spiritus Sancti, in eis operantis, pręueniẽte & ſubſequente gratia Dei, & virtute promiſsionis diuinæ, & noſtri liberi arbitrii, ſic diuinitus adiuti, cooperantis, & ſibi meritoria ſunt, & aliis ſatisfactoria.

MAIOR vera: Nam alioqui non rectè dictum fuiſſet à Sancto Propheta Iob cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Neque Diuinus Paulus auderet dicere 2. ad Thimot. cap. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mibi corona iuſtitiæ, quam reddet mibi Dominus, in illa die iuſtus iudex*

iudex: non ſolùm autem mihi, ſed et iis, qui diligunt aduentum eius.

MINOR Iſa. 26. *Omnia enim opera operatus es nobis Domine.* Item, Matth. 10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

SECVNDA RATIO. Quibus Deus dedit poteſtatem filios Dei fieri, illis dedit gratiam & poteſtatem, & ſibi mereri, & pro aliis ſatisfacere. ſed Deus ſanctis, qui credunt in nomine Ieſu Chriſti, dedit poteſtatem filios Dei fieri: ergo Deus ſanctis dedit gratiam & poteſtatem, non ſolùm ſibi mereri; ſed etiam pro aliis ſatisfacere: & per conſequens, theſaurizare theſaurum indulgentiarum.

MAIOR vera: nam cui Deus dat quod maius, dat & id, quod minus eſt.

MINOR Ioan. cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

TERTIA RATIO. Omnis perſona Deo grata, facit opera Deo grata, & rata, meritoria, & ſatisfactoria. ſed omnis Sanctus eſt perſona Deo grata: igitur omnis Sanctus, facit opera Deo grata, rata, meritoria, & ſatisfactoria: & per conſequens, ſuis meritis & ſatisfactionibus theſaurizat theſaurum indulgentiarum.

MAIOR vera: quia ſcriptum eſt: Geneſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.*

MINOR Pſalm. 20. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo: vitam petijt à te, et tribuiſti ei longitudinem dierum in ſeculum ſeculi. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi: lætificabis eum cum vultu tuo.* Quia hoc ſanctis ſuis promiſit Deus, proculdubiò dedit.

Item, probatur: Deo beneplacitum eſt in ſanctis: ergo opera illorum ſunt meritoria, & ſatisfactoria.

CONSEQVENTIA ab Antecedentibus.

ANTECEDENS Pſalm. 146. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.*

QVARTA RATIO. Quos Deus iuſtificauit, illos & glorificauit. ſed Deus ſanctos iuſtificauit: igitur & glorificauit. &

per conſequens voluit opera illorum eſſe meritoria, & ita ſatiſfactoria, vt cederent in theſaurum indulgentiarum.

MAIOR vera, ad Roma. cap. 8. Item, Pſalm. 4. *Scitote quia Dominus mirificauit ſanctum ſuum.* MINOR Nota.

QVINTA RATIO. Qui diues eſt, eum pro pluribus pauperibus ſatisfacere poſsibile eſt. ſed omnis Sanctus eſt diues: & quilibet peccator eſt miſer: quia miſeros omnes facit peccatũ: igitur omnem Sanctum pro pluribus pauperibus ſatisfacere poſſibile eſt: & per conſequens, quilibet Sanctus theſaurum indulgentiarum benè theſaurizare poteſt.

MAIOR vera à poſsibili.

MINOR, 2. ad Corint. cap. 8. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Item Magiſter, Senten. lib. 1. Diſtin. 48. idem docet. D. Thomas Aquinas, Lectio. 2. ſuper 2. ad Corinth. cap. 8. *Scitis enim gratiam,* id eſt, *quam quidem humano generi contulit.* Ioan. 1. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et hæc dicitur gratia: quia, quidquid filius Dei pœnalitatum noſtrarum aſſumpſit, totum gratiæ eſt imputandum: quia nec præuentus alicuius bonitate, nec alicuius virtute coactus, nec inductus ſua neceſsitate. Eſt autem gratia iſta, quomodo propter nos egenus factus eſt:* ad Philippenſes 2. *Et dicit egenus, quòd plus eſt, quàm pauper. Nam egenus dicitur ille, qui non ſolùm parum habet, ſed qui indiget ſeu eget: pauper verò ille, qui parum habet. Ad ſignificandum ergo maiorem paupertatem, dicit, Egenus factus eſt, ſcilicet, in temporalibus.* Lucæ 9. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet:* Threnorum 3. *Recordare paupertatis meæ. Eſt autem factus egenus, non ex neceſsitate, ſed ex voluntate: quia iſta gratia non eſſet gratia. Et ideò dicit, cùm diues eſſet, ſcilicet in bonis ſpiritualibus: & D. Hieronymus in bonis cæleſtibus, (in quibus Sacrum Concilium Tridentinum ponit indulgentias)* ad Rom. 10. *Idem Deus diues in omnes, qui inuocant illum:* Prouerb. 8. *Mecum ſunt diuitiæ: Dicit autem, Eſſet, non fuiſſet, ne videretur Chriſtus amiſiſſe diuitias ſpirituales, cùm aſſumpſit paupertatem: Sic enim aſſumpſit hanc paupertatem, quòd illas ineſtimabiles diuitias non amiſit.* Pſalm. 48. *Simul in vnum diues & pauper: diues in ſpiritualibus, pauper in temporalibus. Et hoc eſt propter duo: propter exemplum, & propter ſacramentum. Propter exemplum quidem: quia ſi Chriſtus dilexit paupertatem, & nos exemplo ſuo debemus diligere eam. Diligendo autem paupertatem

pertatem in temporalibus, efficimur diuites in ſpiritualibus. Iac. 2. *Nonnè Deus elegit pauperes in mundo diuites in fide? &c. Et ideò dicit, vt illius inopia vos diuites eſsetis. Propter ſacramentum autem: quia omnia quæ Chriſtus egit, vel ſuſtinuit, fuit propter nos: vnde ſicut per hoc, quòd ſuſtinuit mortem, liberati ſumus à morte æterna, & reſtituti vitæ; ita per hoc, quòd ſuſtinuit inopiam in temporalibus, liberati ſumus ab inopia in ſpiritualibus, & facti ſumus diuites in ſpiritualibus:* 1. ad Corinth. 1. *Diuites facti eſtis in illo, in omni ſcientia.* Hæc D. Thomas.

Similiter Anſelmus Canthuarien. ſuper iiſdem verbis Apoſtoli, multa pulchra lectione digna, quæ breuitatis cauſa omitto, annotauit: vide, lege, vbi dicit: Chriſtus intus diues, foris pauper. Per Chriſtum omnes homines omnis generis habent diuitias, & quod facilè primum eſt, ſanitatem. Qui verò habent ſanitatem, etiam ſi fuerint pauperes, diuites ſunt, &c.

SEXTA RATIO. Chriſtus dedit dona hominibus, vt alij aliis miniſtrent, & ſatisfaciant: igitur & Sanctis ſuis dedit dona, non ſolùm ſibi mereri, ſed etiam pro aliis ſatisfacere: & per cōſequens theſaurizare theſaurum indulgentiarum.

CONSEQVENTIA ab imperfectiori ad perfectius. Nam ſi dat Deus dona imperfectioribus; quomodo eadem & maiora negabit ſuis electis perfectioribus?

ANTECEDENS Math. 25. & Lucæ 19. ſub illa parabola. *Homo quidam peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et vni dedit quinq; talenta: alij autem duo: alij verò vnum, ſecundùm propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim, &c.* Item hoc idem ad Roma. cap. 12. Item, 1. ad Corinth. 12. *Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult, &c.* Hoc idem ad Epheſ. cap. 4. *Vnicuiq; autem noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſurā donationis Chriſti: propter quod dicit*: Pſal. 67. *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus, &c. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios verò Euangeliſtas: alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum: in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, etc.*

SEPTIMA RATIO. Serui pigri & mali, puniuntur in Euangelio, propter negligentiam & abuſum donorum: igitur electi premiantur magis ac magis, propter ſatisfactiones pro aliis, & propter diligentiam, fidelitatem, & bonum vſum donorum: & per conſequens Sancti theſaurizant theſaurum indulgentiarũ.

CONSEQVENTIA à Contrariis.

ANTECEDENS ſub Parabola Math. 25. & Lucæ 19. &c. vt ſuprà: ibi enim ſingulorum diſcutiuntur merita, & demerita: & ſecundùm cuiusque propria merita, vel demerita, redduntur vnicuique premia vel pœnæ, &c.

Hæc & alia ſexcenta poſſunt ad eam rem adferri argumenta. ſed ſi hæretici blaſphemi, non acquieſcunt ſanis ſermonibus Eccleſiæ Catholicæ, & certis rationibus Catholicorum, tunc audiant horribile Decretum iudicis Chriſti, Math. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

COROLLARIVM PRIMVM.

Vniuerſalis indulgentia, incipiendo ab Hieroſolyma, & inde ab Eccleſia Sancta Romana, in omnem terram, & in fines orbis terræ, per omnes & ſingulas Eccleſiæ Catholicæ partes, exit, manat, ac funditur: ſicut fluuius Paradyſi, qui irrigat terram: ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion, Pſalm. 132. Oſeæ 14. Lucæ 24.

Probatur Corollarium, Notabili quinto, cap. 1. 2. 3. 4.

Item, probatur teſtimonio Proſperi Aquitanici ſuper Pſalm. 132. *Per Aaron*, inquit, *ſacerdotem, ille indicatur ſacerdos, qui veri Pontificis ſacramentum, non in alieni generis hoſtia; ſed in oblatione corporis, & ſanguinis ſui ſolus impleuit: idem ſacerdos, idem victima, propitiator & propitiatio, omniumq; myſteriorum, quibus nunciabatur effector, qui mortuus, ſepultus, reſuſcitatus, aſcendit in cælos, naturam humanam ſuper omne nomen exaltans, & mittens Spiritum ſanctum: cuius vnctio, omnem Eccleſiam procuraret. A capite enim, id eſt, à Chriſto manans benedictio, non ſolùm in barbam, ſed etiam in oram veſtimenti eius: id eſt, vſq; ad infima membra deſcendit. In barbam autem, quæ vnguentum fluens à capite prima ſuſcepit, Apoſtoli ſignificantur, & Martyres, in quibus virtus capitis, & ſacramento eminet & exemplo. Roris deſcenſio, ſupernæ gratiæ ſignificatio eſt, quæ Sanctorum eſt origo meritorum. A Chriſto enim ex Hermon in Sion, id eſt ex Synagoga in Eccleſiam venit pluuia chariſmatum*

riſmatum, exoritur ex tota compage fructus benedictionum, indulgentiarum, *et fortitudo virtutum*, Hæc Proſper.

Nota: mandat legiſlator, mediator, & ſaluator noſter Chriſtus Dominus, primam indulgentiam, primis redemptionis diebus, primò in Ieruſalem prædicare, propterea, quia Math. 15. dixit: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Secvndò, quia ibi omnium maximum perpetratum eſt parricidij ſcelus & crimen: vt videntes gentiles, hanc infinitam miſericordiam, qualis erat ignoſcere huic ciuitati, inde erga Chriſtum maximè afficerentur, ne deſperarent de miſericordia ipſius. Siquidem adeò bonus & miſericors, vt non ſolùm parcere huic ciuitati, Ieruſalem voluerit Math. 23. ſed etiã eam aliis omnibus prætulerit, & exaltauerit. Tertiò, voluit vt ab Ieruſalem inciperet indulgentiæ prædicatio, vt ex Iudæorum conuerſorum fide, Gentiles animarentur, ad amplexandam fidem Chriſtianam. Si enim in Chriſtum credere non dubitauerunt illi, à quibus in cruce ſuſpenſus eſt; quare non crederent in eum Gentiles, qui tantum nefas contra Chriſtum non attentauerunt, non perpetrauerunt? Et ſi Iudæi homicidæ, & parricidæ poſt tot flagella ſimul atque reſipuerunt, tantæ gratiæ facti ſunt participes; quomodo Gentiles non poſſunt bonã ſpem concipere veniæ? Ergo incipiendo ab Hieroſolyma prædicatum eſt Euangelium Pœnitentiæ, & Indulgentiæ Romanis, & inde deriuatum in vniuerſum orbem terrarum: propterea, quia Legiſlator, Magiſter, & Saluator Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Lucæ 24. dixit: *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, et remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma.*

COROLLARIVM SECVNDVM.

Chriſtus peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis. 1. Pet. 2.

Corollarium probatur Notabili 4. cap. 2. Item probatur authoritate B. Pauli Apoſtoli ad Coloſ. cap. 2. vbi ait: *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci; & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.*

COROLLARIVM TERTIVM

Beata Dei genitrix virgo Maria, cùm ſæpè aliâs, tum in hora paſſionis

onis Chriſti theſaurum Indulgentiarum Eccleſiæ theſaurizauit, quando gladius doloris animam eius pertranſiuit. Lucæ 2.

Probatio Corollarij, patet Notabili 4. cap. 5.

COROLLARIVM QVARTVM.

Sancti, theſauro redemptionis, & indulgentiarum ita vtebantur; vt etiam ipſi aliquid apponerent, non ſolùm propter præceptum & exemplum Chriſti; verùmetiam quia non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. 2. ad Corinth. 12.

Probatur Corollarium Notabili 1. cap. 4. Item, probatur ſuprà Concluſione tertia. Item, probatur exemplo, & authoritate B. Pauli Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 12. *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe, pro animabus veſtris; licèt plus vos diligens, minus diligar.* Item ad Coloſ. ca. 1. *Ego Paulus factus ſum miniſter Euangelij, qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

Item confirmatur teſtimonijs Patrum. D. GREGORIVS in caput nonum 1. Reg. in illa verba: *Dixit Samuel Coco. Non omnia noſtra, inquit, Chriſtus expleuit: per crucem quidem ſuam omnes redemit; ſed remanſit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò reſiduum viderat, qui dicebat ad Romanos 8. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Quaſi dicat: Quod expleuit Chriſtus, non valet niſi ei, qui id, quod remanſit adimplet. Hinc B. Petrus Apoſtolus 1. Petri cap. 2. dicit: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Hinc Paulus ait, Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

Item, D. BASILIVS Quæſt. 12. in Regulis breuioribus, ſeu Compendio explicatis quæſtionibus. *Deus pro remiſſione peccatorum noſtrorũ demiſſo vnigenito filio ſuo, quantum in ipſo eſt, ea antè iam omnibus condonauit. Quoniam autem miſericordiam & iudicium ſanctus vir canit, et teſtatur Deũ miſericordem eſſe et iuſtum; neceſſe eſt, vt quæ et à Prophetis & ab Apoſtolis ſuis locis de Pœnitentia dicta ſunt, ea à nobis præſtentur; vt appareant iudicia iuſtitiæ Dei, & miſericordia eius confirmetur ad condonationem peccatorum. Hinc villicus ille, qui diſſipat bona Domini ſui, diffamatur apud Dominum Lucæ 16. Hoc ipſum Dominus expreſſit, quando dixit Lucæ 11. Qui non colligit mecum, diſpergit.* Igitur & nos eundem theſaurum theſaurizare debemus.

COROLLARIVM QVINTVM.

Hæc duo non pugnant, nempè, Non eſſe condignas paſsiones huius tem-

ius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis ad Rom. 8. & tamen fieri poſſe per adiutorium gratiæ Dei, vt poſsint inueniri paſsiones condignæ: quia ſcriptum eſt, Id quod in præſenti eſt momentaneum & leuę tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Corinth. cap. 4. Et apud D. Auguſtinum Sermo. 44. de ſanctis.

Probatur Corollarium Notabili 4. cap. 1. Item authoritate Sacroſancti Concilii Tridentini, Seſs. 6. cap. 11. Item probatur authoritate ſcripturæ Eccleſiaſt. 9. cap. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrum amore an odio ſit dignus. Sed omnia in futurum ſeruantur incerta, eò quòd vniuerſa æque eueniunt iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti. Sicut bonus, ſic & peccator: vt peiurus, ſic ille qui verum deierat.* Vnde D. Gregorius Magnus li. 14. Moralium cap. 3. *Plerumque verò hæretici, cùm quosdam in ſancta Eccleſia, vel inopia, vel flagellis laborantes aſpiciunt, ſemetipſos mox in arrogantiam iuſtitiæ extollunt, & quidquid aduerſum fidelibus eueniſſe conſpiciunt, hoc factum pro eorum iniquitatibus putant: neſcientes nimirum, quia actionum meritum præſentis vitæ qualitas, nullatenus probat: nam plerumque & bona malis, & mala bonis eueniunt, pro eo, quòd & vera bona bonis, & vera mala malis in æterna retributione ſeruantur. &c.* Iuxta illud Eccleſiaſt. 12. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.*

Item probatur per inductionem. Deus paſsiones Iſaac Gene. 22. acceptauit: paſsiones Ioſeph acceptauit, Gene. 39. paſsiones Iob acceptauit, Iob 42. & ſuis meritis Iob, non ſolùm ipſe gratiam apud Deum inuenit; verùmetiam iram Dei contra Eliphas Themaniten, ſuis meritis placauit. Similiter Deus paſsiones Tobię acceptauit. Tob. 12. Similiter Deus paſsiones Dauid acceptauit, 3. Regum 11. & ſuis meritis Dauid obtinuit, vt regnum integrum maneret Salomoni filio. &c.

Ergo Deus ſanctorum ſuorum paſsiones condignas fecit, quando eas acceptauit: ſed ſancti propter charitatem erga Deum, & propter gloriam nominis eius, paſsiones ſuas non eſſe condignas confitentur & prædicant; hoc enim iuſtum eſt coram Deo: ſcit tamen Deus quos elegit, ſcit quos vocauit: nam quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ad Rom. cap. 8. Scit ergo Deus, quos elegit, & ſciunt ſancti, cui crediderunt 1. Timoth. 1.

CONTRA. Quidquid datur, aſſumitur, & ponitur, contra principia logicorum, metaphyſicorum, phyſicorum, &c. illud nulla ratione de-

ne defendi, nullo modo ſubſiſtere poteſt. ſed hoc Corollarium quintum datur, aſſumitur, & ponitur contra principia logicorum, metaphyſicorum, & phyſicorum. &c. igitur hoc Corollarium quintum nulla ratione defendi, nullo modo ſubſiſtere poteſt.

MAIOR Nota, Primo cæli: Patribus credendum: Et vnicuique in ſua arte perito credendum eſt.

MINOR probatur primò: Quia hoc Corollarium quintum, datur contra principia Logicorum: Nam Ariſtoteles in libro Perihermenias dicit: De quolibet affirmatio vel negatio, de nullo ambo ſimul. Idem lib. 2. Poſteriorum: Duo habitus contrarij non ſunt, nec eſſe poſſunt in eodem ſimul. Idem lib. 1. Metaph. De natura contrariorum eſt ſe mutuò expellere. Idem 12. Metaph. Duo accidentia non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Idem lib. 1. Phyſico. Duo contraria in eodem ſubiecto, ſimul ſtare non poſſunt, quamùis ex ſeipſis contraria fiant.

PRIMA SOLVTIO. Negatur Conſequentia: quia ſcriptum eſt, 1. ad Cor. ca. 1. Scriptum eſt enim Iſaię 29. & 33. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi? nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? &c.* Hoc idem B. Apoſtolus repetit, 1. ad Corint. cap. 3. &c.

SECVNDA SOLVTIO: Non valet Conſequentia: quia licèt talia argumenta aliquid videantur concludere in Schola Logicorum Methaphyſicorum, Phyſicorum, &c. Verùmtamen in ſchola Theologorum nihil concludunt. Vnde Magiſter Sententiarum, lib. 2. Diſtinct. 34. dicit ſic: *Ideoq; in his contrariis, quæ mala & bona vocantur, illa Dialecticorum regula deficit, qua dicunt, nulli rei, duo ſimul ineſſe contraria. Nullus enim cibus, aut potus ſimul dulcis eſt & amarus: nullum ſimul vbi album ibi & nigrum: & hoc in multis, ac penè in omnibus reperitur contrariis, vt in vna re ſimul eſſe non poſſint. Cùm autem bona & mala nullus ambigat eſſe contraria, non ſolùm ſimul eſſe poſſunt, ſed mala omninò ſine bonis, & niſi in bonis eſſe non poſſunt. Et hæc duo contraria ita ſimul ſunt, vt ſi bonum non eſſet, in quo eſſet; prorſus nec malum eſſe potuiſſet: quia non modò vbi conſiſteret, ſed vnde oriretur corruptio non haberet, niſi eſſet quod corrumperetur: quoniam nihil aliud eſt corruptio, quàm boni exterminatio. Ex bonis ergo mala orta ſunt: et niſi in bonis non ſunt, nec fuit prorſus vnde oriretur vlla mali natura, niſi ex angeli & hominis natura bona, vnde primitus orta eſt voluntas mala. Ergo Regula Logicorum Metaphyſicorum & Phyſicorum de contrariis fallit.*

Propterea D. AVGVSTINVS Sermo. 44. de ſanctis, hæc puncta vt in Corollario quinto ponuntur coniungit, addens: quia hæc in promiſsione

miſsione Dei fundantur: ergo non in ſubtili argumentatione Logicorum, &c.

Quamobrem SS. Concilium Tridentinum, Seſsio. 6. cap. 11. docet ſic: *Licèt enim in hac mortali vita, quantumuis ſancti & iuſti, in leuia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoq; cadant; non propterea deſinunt eſſe iuſti: iuxta illud Prouerb. 24. Ne inſidieris, & ne quæras impietatem in domo iuſti, neq; vaſtes requiem eius: Septies enim in die cadit iuſtus, & reſurget: impij autem corruent in malum.*

D. HIERONYMVS ad Ruſticum monachum, & habetur de Pœniten. & Remiſsion, Diſtinct. 3. *Septies ſi cadit, quomodo iuſtus? Si iuſtus, quomodo cadit? Sed iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit: & non ſolùm ſepties; ſed etiam ſeptuagies ſepties delinquenti: ſi conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur: cui plus donatur, plus diligit.* Hæc ille. Vnde conſtat eos Orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui dicunt iuſtum, in omni opere bono ſaltem venialiter peccare, aut, quod intollerabilius eſt, pœnas æternas mereri. Contra quos SS. Concilium Tridentinum, tale Decretum dedit Seſsio. 6. Canone 25. *Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intollerabilius eſt, mortaliter, atq; ideo pœnas æternas mereri, tantumq; ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, Anathema ſit.*

COROLLARIVM SEXTVM.

Sancta mater Eccleſia Catholica, eſt fidelis depoſiti theſauri indulgentiarum teſtis & cuſtos: nam ab immemorabili tempore ita indulgentiis vtitur; vt & ipſa ſuis meritis promoueat filios ad indulgentiam, & iuſtificationem, tanquam Rebecca Iacobum filium ad benedictionem, Gene. 27.

Probatio Corollarii, Notabili 4. cap. 3. 4. 5. &c. Item, patet ex ſuprà dictis & ſequentibus.

Item, probatur teſtimoniis Sanctorum Patrum: D. GREGORIVS Magnus, ſuper 29. ca. Iob, li. 19. moralium, cap. 14. dicit: *Sancta mater Eccleſia Catholica, ita eſt ſollicita pro filiis, vt ſicut Iob dicit: Oculus fui cæco, & pes claudo: ita ſancta mater Eccleſia, quæ duos in ſe populos collegit, Iudaicum ſcilicet atq; Gentilem, rectè poteſt cæco Gentilis, claudo autem Iudaicus populus deſignari. Gentilis quippe, quaſi oculos non habuit: quia non recepta lege, non vidit, quo ire debuiſſet. At, contrà Iudaicus, habens oculos, claudus fuit: quia legem quidem ſciendo tenuit, ſed in ea greſſum recti operis non tetendit. Si enim Gentilis populus cæcus minimè fuiſſet, Propheta non diceret: Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem*

magnam. Rurſum, ſi Iſraeliticus populus à bono opere minime claudicaſſet, nequaquam voce Domini Pſalmiſta dixiſſet: Filij alieni mentiti ſunt mibi: filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Ergo Eccleſia pro ſuis eſt ſollicita: quia eſt oculus cæco, & pes claudo, tanquam pia mater.

D. AVGVSTINVS lib. I. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 30. *Meritò Eccleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima, non ſolùm ipſum Deum, cuius adeptio vita eſt beatiſſima, puriſſimè atq; caſtiſſimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui ſoli homo ſubijciendus eſt, cui ſoli rationalis anima cohærendo non miſera eſt, excludens omne quod factum eſt, quod obnoxium commutationi, quod ſubditum tempori, &c. ſed etiam proximi dilectionem atq; charitatem ita complectens, vt variorum morborum, quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuuenes, quiete ſenes, prout cuiusq; non corporis tantùm, ſed & animi ætas eſt, exerces ac doces. Tu fœminas viris ſuis, non ad explendam libidinem; ſed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris ſocietatem caſta, & fideli obedientia ſubijcis. Tu viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem ſexum, ſed ſynceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam ſeruitute ſubiungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore, atq; arctiore quàm ſanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem, & affinitatis neceſſitudinem, ſeruatis naturæ voluntatisq; nexibus, mutua charitate conſtringis. Tu dominis ſeruos, non tàm conditionis neceſſitate, quàm officij delectatione, doces adhærere. Tu dominos ſeruis, ſummi Dei ſcilicet, communis domini conſideratione, placabiles, & ad conſulendum quàm coërcendum propenſiores facis. Tu ciues ciuibus, gentes gentibus, & prorſus hominibus homines primorum parentum recordatione, non ſocietate tantùm, ſed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges proſpicere populis: mones populos ſe ſubijcere regibus, &c.* Lege totum, quia pulchrum: Tomo I. pagina 535. A B &c.

Idem D. AVGVSTINVS in Enchiridio ad Lauren. cap. Sexageſimo quarto, dicit: *Per remiſſionem peccatorum ſtat Eccleſia, quæ in terris eſt: per hanc non perit, quod perierat, & inuentum eſt. Excepto quippe baptiſmatis munere, quod contra originale peccatum donatum eſt, vt quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur; & tamen actiua quoq; peccata, (veniant veniant, & audiant auribus Nouatiani) quæcunq; corde, ore, opere commiſſa inuenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio, in qua ſoluitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus, ipſa etiam vita, cætera iam ratione vten-*

ne vtentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iuſtitiæ, ſine remiſſione peccatorum non agitur. quoniam filij Dei, quàm diu mortaliter viuunt, cum morte confligunt. Et quamuis de illis ſit veraciter dictum, ad Roma. 8. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt: ſic tamen Spiritu Dei excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum; vt etiam ſpiritu ſuo maximè aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum, quibusdam motibus humanis deficiant ad ſeipſos, & ideò peccent.* Hæc D. Auguſtinus.

Ergo ſancta mater Eccleſia Catholica, tanquam Rebecca, ſollicita eſt pro filiis, & magna pietate procurat indulgentiam filiis, & propterea ſeruat & cuſtodit cæleſtem indulgentiarum theſaurum.

Quod & Ratione probatur tali.

Vbi eſt cæleſtis theſaurus indulgentiarum; ibidem perpetua cuſtodia, & fidelis diſpenſatio. ſed in Eccleſia Catholica eſt cæleſtis theſaurus indulgentiarum: igitur in Eccleſia eſt perpetua cuſtodia, & fidelis diſpenſatio.

MAIOR vera, & probatur à ſimili: quia Regnum & Ciuitas ſolent cuſtodire theſauros.

MINOR ex ſupradictis patet, &c. Quemadmodum igitur Chriſtus purgat indulgentia Eccleſiam; ita viciſsim Eccleſia mater, purgat filios indulgentia: & vbi eſt talis ordo, ibi Deus eſt, ad Roma. 13.

CONTRA, S. Apoſtolus ad Ephe. cap. 5. dicit: *Chriſtus tradidit ſeipſum pro Eccleſia, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi*: Igitur Chriſtus mundat Eccleſiam, & non Eccleſia filios.

SOLVTIO. Negatur Cónſequentia: nam Deus quidquid agit, agit ſemper per ordinata media, in quibus eſt Summus Pontifex, cum Epiſcopis & ſacerdotibus.

Porrò, ad authoritatem Apoſtoli, D. Auguſtinus lib. 1. Retractat. cap. 19. & lib. 2. Retractat. cap. 18. dicit: *Vbicunq; autem in his libris commemoraui Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi iam ſit; ſed quæ præparatur vt ſit, quando apparebit etiam glorioſa: nunc autem propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet vnde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita noſtra, etc.* Idem, D. Thomas Aquin. Idẽ dicit Anſelmus Cantuariẽ. &c.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Deus, ſicut contra peccatum originale procurauit, ordinauit, & dedit

dedit circumciſionem, & fontem baptiſmi; ita contra peccata actualia procurauit, ordinauit, & dedit pœnitentiam, abſolutionem, ſatisfactionem, & fontem indulgentiarum.

Probatur Corollarium, Notabili Quarto, cap. 2.

Item, probatur authoritate Sacroſancti Concilij Tridentini, Seſsione 6. cap. 14. De lapſis & eorum reparatione. *Qui verò*, inquit, *ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum, merito Christi amiſſam gratiam recuperare procurauerint: hic enim iuſtificationis modus eſt lapſis reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres apte nuncupauerunt. Etenim pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus ſacramentum inſtituit pœnitentiæ, cùm dixit Ioan. cap. 20. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Unde docendum eſt Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, multùm aliam eſſe à Baptiſmali, eaq; contineri non modò ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum; verùmetiam eorundem ſacramentalem confeſsionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem. Itemq; ſatisfactionem, per Ieiunia, Eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſacramentali voto, vnà cum culpa remittitur; ſed pro pœna temporali, quæ vt Sacræ literæ docent, non tota ſemper, vt in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum ſanctum contriſtauerunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt, Apocal. 2. Memor eſto vnde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum, 2. ad Corint. 7. quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt: Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſus, Math. 3. Luc. 3. Pœnitentiam agite, & facite dignos fructus pœnitentiæ.*

NOTA, quia Deus non omnibus dat pœnitentiam, ſed quibus vult tantùm: 2. ad Timoth. 2. Seruum autem Dei, non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe, ad omnes docibilem, patientem cum modeſtia, corripientem eos qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

CONTRA ad Hebr. 12. *Ne quis fornicator, aut profanus vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua. Scitote enim quoniam & poſtea, cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Ergo Deus cui vult miſeretur, & quem vult indurat, ad Rom. 9.

Item

Item probatur Corollarium teſtimonio Theodoreti,in Epitome diuinorum Decretorum,capite de pœnitentia. *Sunt ergo medicabilia*, inquit, *etiam quæ poſt baptiſmum fiunt vulnera: medicabilia autem non vt olim per ſolam fidem data remiſſione; ſed per multas lachrymas & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati commoderatum. Qui enim non ſic affecti ſunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina ſunt eis manu impertienda. Nolite, inquit Matth. 7. dare Sanctum canibus, nec margaritas porcis. Has habet Eccleſia leges de pœnitentia.* Hæc ille. Vnde D. Ambroſius, de dignitate ſacerdotali cap. 3. *Quantò gradus altior, tantò caſus grauior.*

COROLLARIVM OCTAVVM.

Deus vult, vt peccatores adulti, per aliqua officia pœnalia fiant participes indulgentiarum.

Probatio Corollarij, patet Notabili primo cap. 2. Item patet ex Corollario proximè præcedenti. Item patet ex Corollario ſecundo, Concluſionis ſecundę. Item patet ex Corollario tertio, Concluſionis ſextę. Item, probatur Iac. ca. 5. *Ecce iuſtificamus eos, qui ſuſtinuerunt.*

COROLLARIVM NONVM.

Neceſſe eſt ſub indulgentijs maiore patientia, iuſtitia, & humilitate portare crucem, & non dimittere iniunctas pœnitentias: tum quia ſcriptum eſt Eccleſiaſt. cap. 5. De propitiatu peccatorum, noli eſſe ſine metu, & ne adijcias peccatum ſuper peccatum: tum quia in multis offendimus omnes, Iac. 3. tum quia ſatisfactionis opera ſunt præſeruatiua à futuris peccatis, teſte D. Thoma.

Probatio Corollarij patet Notabili 1. cap. 2. & Notabili 7. cap. 3. & vt ex Concluſione 2. Corollario tertio.

Item probatur teſtimonio B. Auguſtini, qui in lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 2. dicit: *Pœnitentia itaq; acquirit Indulgentiam, ſine qua nemo peruenit ad veniam.*

Nota: quia D. Thomas in opuſculis docet ſic: *Præceptum eſt quadruplex, ſcilicet, Primæ neceſſitatis, Secundæ neceſſitatis, Tertiæ neceſſitatis, & Quartæ neceſſitatis. Primæ neceſſitatis præceptum eſt, Diligere Deum: Secundæ neceſſitatis eſt, vt eſt Satisfactio pro peccatis. Tertiæ neceſſitatis eſt, vt Votum & Conſilia. Quartæ neceſſitatis præcepta ſunt, quæ prælati Eccleſiarum inſtituunt, ſcilicet quæ inſtituit Papa in Eccleſia, aut Archiepiſcopus in ſua prouincia, aut Epiſcopus in ſua Diœceſi, aut Abbas in ſua Abbatia.*

COROLLARIVM DECIMVM.

Indulgentiæ ſupplent vicem ſatisfactionis, vt eſt ſatisfactio Puniti-ua, non vt eſt Medicatiua. D. Thomas.

Probatur Corollarium Notabili tertio cap. 4. & Notabili 4. cap. 3. 4. 5. Item probatur authoritate ſcripturæ 1. ad Corinth. cap. 5. *Ego quidem*, inquit B. Paulus Apoſtolus, *abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, cum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere huiuſmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Cætera lege 2. ad Corinth. cap. 2.

COROLLARIVM VNDECIMVM.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. 1. ad Timotheum 1.

Probatio Corollarij ex ſuprà dictis patet.

CONCLVSIO SEXTA.

SOlus Papa, cui primo & principaliter diſpenſatio vna cum clauibus credita, & tradita eſt, habet plenariam poteſtatem dandi indulgentias. Concilium autem Legati Epiſcopi comiſſarij & alij, ſecundùm taxationem & diſpenſationem eius. D. Thom.

Veritas Concluſionis patet Notabili ſecundo cap. 8. & Notabili 4. cap. 5. &c.

Item, probatur authoritate Sacræ ſcripturæ Math. cap. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et, tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in cælis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Item, Math. 24. & Luc. 12. *Fidelis diſpenſator, ſiue ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram.*

Item, probatur teſtimonio Sacrorum Canonum, de pœnitentiis & remiſsionibus, cap. Quod autem. Et cap. Noſtro, & in Extrauag. cap. Vnigenitus. *Theſaurum*, inquit, *Eccleſiæ, Deus in ſudario noluit eſſe repoſitum, neq; in agro abſconditum; ſed per B. Petrum cæli clauigerum eius-*

rum, eiusq; ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit ſalubriter fidelibus diſpenſandum. Et propiis & rationalibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter quàm ſpecialiter verè pœnitentibus & confeſſis, miſericorditer applicandum. Vnde diſpenſatio tam magni, tam ſancti theſauri in caſibus fieri debet, in quibus veriſimiliter appareat Deum Dominum magnũ, cuius propriè is eſt theſaurus, in diſpenſationem huiuſmodi conſentire, & eam approbare. Sciendum autem, quia Epiſcopus non tantum præſentatus, ſed electus, nondum conſecratus, nondum ſacris initiatus, indulgentias concedere poteſt. Nam electus ad Epiſcopatum, etiam antequam conſecretur, iuriſdictionem habet, quæ ſufficit ad indulgentias concedendas, vt habetur de Electio. cap. Tranſmiſſam. Nullus Epiſcopus poteſt alicui, non ſibi ſubdito, niſi ex facultate proprii Epiſcopi, indulgentiam concedere, vt expreſsè patet in cap. Quod autem: de pœnitentiis & remiſſionibus. Item, omnes Epiſcopi, excepto duntaxat Summo Pontifice Romano, Sanctiſſimo Papa, non poſſunt niſi quadraginta dies, ex rationabili cauſa, vel annum indulgentiarum, ratione ædificandi aliquam Baſilicam concedere, patet ex cap. Cùm ex eo: de pœnitentiis & remiſſionibus.

Summus autem Pontifex Romanus Papa, habet plenitudinem poteſtatis, ſicut Rex in regno. Epiſcopi verò aſſumuntur in partem ſolicitudinis, quaſi iudices ſingulis ciuitatibus præpoſiti. Quamobrem Epiſcopi à Summo Pontifice fratres nuncupantur; filij verò cæteri fideles. Ergo Papa cùm ſit vniuerſalis totius Eccleſiæ paſtor, & iudex, poteſt prout libet, ſecundùm ſuum beneplacitum, modò adſit rationabilis cauſa dare indulgentias. Alij verò Epiſcopi, in ſuis diœceſibus, quantum à Vicario Chriſti conceſſum eſt. Legati autem in ſua prouintia indulgentias concedere valent. Archiepiſcopi verò in Epiſcopatibus Suffraganeorum ſuorum. Extra, de pœniten. & remiſſione, Cùm ex eo. Ex quo patet quod poteſtas Papalis in concedendis indulgentiis ſit omninò pleniſſima: Epiſcoporum verò limitata, & determinata: nam tota pendet ex arbitrio, & iudicio Summi Pontificis; ne abuſus in contemptum clauium verteretur; ne diſciplina Eccleſiaſtica, & pœnitentialis ſatisfactio eneruaretur.

De Concluſione Sexta, eſt Controuerſia

inter Catholicos & Hæreticos. Nam Catholici hanc Concluſionem, vt ponitur Catholicè in forma, non ſolùm affirmant; verùmetiam vt edocti ſunt à Magiſtro Spiritu ſancto in Eccleſia Catholica, cum Patribus credunt.

CONTRA HÆRETICI indulgentias, & authoritatem clauium blaſphemant & negant. Nam Nouatiani claues & indulgentias negant. Vnde D. Ambroſius ſuper Primam ad Corinth. cap. 5. & in libro de Pœnitentia: *Quid iſti Nouatiani*, inquit, *poſſunt conſortium tecum habere, qui claues regni cælorum non ſuſcipiunt, negantes improbè, in Eccleſia poſſe condonari, cùm Petro dictum ſit: Tibi dabo claues regni cælorum: & quæcunq; ligaueris ſuper terram, ſint ligata & in cælis, vel ſoluta in cælis.*

Lutherus in Sacramento pœnitentiæ ac remiſsionis culpæ, dicit: quia non plus facit Papa aut Epiſcopus, quàm infimus Sacerdos: imò vbi non eſt ſacerdos, æquè tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier aut puer eſſet. Eundem errorem tutati ſunt ſectatores Lutheri.

Item, Ioannes Vuicleffus, teſte Gabriele Prateolo, dicit: Fatuum eſt credere indulgentias Papæ, & Epiſcoporum aliquid momenti habere. Item, Ioan. Weſtphalus in eo tractatu, quem de indulgentiis Eccleſię inſcripſit, aſſerit theſaurum meritorum ſanctorum, non poſſe per Papam diſtribui, nec etiam penſationem pœnarum pro peccatis debitarum poſſe fieri, per pœnas quas ſuſtulit Chriſtus, & quòd indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium.

PROPTEREA QVÆRITVR. AN SOLVS PAPA HABEAT POTESTATEM CONCEDENDI INDVLGENTIAS? Et videtur quòd non: quia ſcriptum eſt Ezechiel. cap. 18. *Et cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.*

Item, Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum* (hoc dicitur ad omnes Apoſtolos, non ſolùm ad Petrum) *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Et hoc ipſum Rationibus volunt probare.

PRIMA RATIO. Quod omnibus indifferenter Apoſtolis à Chriſto cõmiſsum, & conceſſum eſt; illud non eſt vni tantùm tribuendum. ſed authoritas ligandi & abſoluendi, indifferenter omnibus Apoſtolis commiſſa & conceſſa eſt: igitur ex illo Math. 16. poteſtas dandi indulgentias rectè probari nõ poteſt.

MAIOR vera: quia communibus vt communibus, priuatis autem vt ſuis vtendum eſt.

MINOR Math. 18. Ioan. 20. Porrò, Math. 16. Petrus in perſona omnium Apoſtolorum ligandi atque ſoluendi poteſtatem accepit.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia. Nam totus ille verborum cõtextus

textus, ad ſolam Petri perſonam, dimiſſa aliorum Apoſtolorum mentione, dirigitur. ideoque non immerito ad poteſtatem & authoritatem concedendarum indulgentiarum refertur. Nam authoritatem abſoluendi, & ligandi, poſt Chriſti aſcenſionem, Apoſtoli acceperant Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, &c.*

Nec valet dicere. Illa ſententia Petro ferendi leges, pro Reipublicæ Chriſtianæ regimine adminiſtrando, & non pro indulgentiis concedendis poteſtatem eſſe tributam: illa enim Petro, quatenus eſt princeps abſolutè competit: quia omnis princeps ſibi ſubditos legibus ligare & ſoluere poteſt. In quantum verò princeps Eccleſiaſticus, poteſtas ligandi & ſoluendi tributa eſt illi: *Tu*, inquit, *es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi*, id eſt, peccata, *non præualebunt aduerſus eam: quia claues regni cælorum dabo tibi: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

De aliqua ergo poteſtate loquitur Chriſtus, quam ſoli Petro per modum quaſi propriæ authoritatis conceſsit, qua ſcilicet temporales pœnas, relaxare, diluere, ſoluere, purgare, & remouere poteſt. Præterea, poteſtas ligandi ſibi ſubditos per leges, fundatur in authoritate Polytica: hęc autem in fide: & ideò poſt confeſsionem fidei Petro cõceditur & tribuitur, *Et portæ inferi, non præualebunt aduerſus eam:* id eſt, peccatorum reatus & obligationes, eò quòd clauibus Petri confringuntur, & præualere non valent. Et hæc quidem poteſtas Petro conceſſa eſt, ob egregiam illam fidei confeſsionem, qua cofeſſus eſt, Chriſtum eſſe verè filium Dei.

CONTRA. Si illis verbis Matth. 16. Petro conceditur poteſtas indulgentias largiendi, cùm alijs etiam erat communicanda; quid opus fuit illam ſeorſum Petro exhibere? Solvitvr. Quemadmodum omnibus Apoſtolis in commune dictum eſt, *Euntes docete omnes gentes*, & Petro ſeorſim, *Paſce oues meas:* quia reliquis Apoſtolis pro ſuis ſucceſſoribus data poteſtas in ſuis Diœceſibus, Petro autem in tota prorſus vniuerſali Eccleſia, cuius ipſe Princeps eſt, Pontifex, & caput: ſic & ſeorſim Petro eſt data illa poteſtas, veluti paſtori totius Eccleſiæ vniuerſalis, alijs verò veluti particularibus orbis principibus.

CONTRA Math. 18. dicitur: *Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Igitur omnes Apoſtoli indifferenter, inſolidum acceperunt poteſtatem, omnes in vniuerſo orbe terrarum abſoluendi & ligandi, & non ſolus Petrus Apoſtolorum princeps & caput.

SOLVITVR. Petrus pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, alij autem pro ſeipſis tantùm, poteſtatem illã acceperunt: alioqui confuſa eſſet Eccleſię gubernatio, quæ tamen terribillis eſt, vt caſtrorũ acies ordinata, & ordinata ordine Monarchiæ, ſub vno Petro Papa. Epiſcopi autem quamùis ſint veri & legittimi ſucceſſores, & hæredes Apoſtolorum, funguntur officiis in ſuis Diœceſibus: excepto duntaxat Summo Pontifice Petro Papa Romano, ſucceſſore illo, qui vniuerſalis Eccleſię paſtor eſt, princeps paſtorum, & caput. Porrò, Apoſtoli omnes, inſolidum per vniuerſum orbem terrarum, propter nouæ ciuitatis Ieruſalem, id eſt Eccleſiæ fundandæ neceſsitatem, authoritatem habebant ſeminandi Euangelium, fundandi Eccleſiam, & alia, quæ ad Apoſtolici culminis authoritatem ſpectant; Petrum tamen Papam, qui iubente Domino, ducit in altum, & in toto orbe terrarum principem ſe eſſe declarauit, Principem eſſe voluerunt, caput Eccleſiæ, & Papam, Chriſti Vicarium agnoſcebant, & ſummo honore proſequebantur.

CONTRA, Paulus ad Galath. cap. 2. dicit: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Igitur &c.

SOLVITVR. Paulus reſtitit Petro ſecundùm quid, non ſimpliciter. Præterea, prudens ſeruus in quibuſdam ſolet aliquando reſiſtere Domino, & amicus amico ſuo, ſine transgreſsione officii, ſine offenſione, & ſalua domini & amici authoritate & dignitate.

SECVNDA RATIO. Ad ſponſum ſpectat, diſponere de rebus ſponſæ. ſed quilibet Epiſcopus eſt propriæ Eccleſiæ ſponſus: igitur quilibet Epiſcopus, habet poteſtatem Eccleſiæ, theſaurum diſpenſandi: & per conſequens indulgentias cõcedendi.

Adde, quòd ſi Papæ hæc poteſtas competit, ratione ordinis, ſimiliter & Epiſcopo: quia idem eſt vbiq; ordo: nam quod dicitur Romano Pontifici, id competere ratione iuriſdictionis, hoc à ratione alienũ videtur: quia iuriſdictio pertinet ad forum contentioſum: indulgentię verò ad forum & Sacramentũ pœnitentiæ. Ergo quilibet Epiſcopus poteſt concedere indulgentias.

MAIOR vera. MINOR nota.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia: Licèt enim quilibet Epiſcopus ſit aſsignatæ ſibi Eccleſiæ ſponſus; non tamen eſt vniuerſalis Eccleſiæ ſponſus, ſicut Papa, qui eſt totius Eccleſiæ paſtor vniuerſalis, cuius gratia competit ei poteſtas (poteſtas nimirum ſedi Apoſtolicæ reſeruata) diſpenſandi indulgentias.

TERTIA RATIO. Sicut nullus poteſt abſoluere à peccatis,

tis, niſi actu ſacerdos; ita etiam nullus niſi actu ſacerdos, indulgentias legittimè poteſt concedere. ſed ſolus actu ſacerdos poteſt abſoluere in foro pœnitentiæ: ergo ſolus actu ſacerdos indulgentias legittimè poteſt concedere.

MAIOR vera, quia per indulgentias tantum remittitur de pœna, quãtum fuerit per ſacerdotem in foro pœnitentię penſatum & taxatũ.

MINOR nota.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia: nam dimiſsio culpæ, reſpicit poteſtatẽ Ordinis: dimiſsio verò pœnæ temporalis per indulgentias, reſpicit poteſtatem Iuriſdictionis: quia pręſupponit culpam dimiſſam, & ſic non eſt ſimile. Itaque concedere ſiue facere indulgentias, non ad clauem Ordinis, ſed ad clauem Iuriſdictionis ſpectat, vt ſępè dictum eſt.

QVARTA RATIO. Si indulgentiæ virtute clauium conceduntur, & quilibet ſacerdos habet claues: igitur quilibet actu ſacerdos legittimè poteſt indulgentias facere, inſtituere, & concedere.

Adde, quòd quilibet homo poſsit ſua merita pro ſuo beneplacito alteri communicare, & ſic eius pœnam minuere, quò ad indulgentias pertinet.

CONSEQVENTIA à cauſa ad effectum. ANTECEDENS notum.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia: nam clauis iuriſdictionis, & theſauri diſpenſandi authoritas, legittimè poteſt indulgentias concedere: hæc cùm ſimul deſint Parocho, ex ſuo ordinario officio non habet poteſtatem indulgentias concedendi. Ad Confirmationem: licèt quilibet habens charitatem, poſsit alijs ſua merita communicare; non tamen poteſt indulgentias concedere: quia hoc pertinet ad officium & actum iuriſdictionis, quæ pendet ex iure diuino, & diſpenſatione Summi Pontificis.

NOTA. Quia Dominicus à Soto tenet, quòd Epiſcopi à Parochis in conferendis indulgentijs, non diuino, ſed poſitiuo iure differunt.

PORRO, ſi quis vrgeat & inſtet, parochialem ſacerdotem poſſe indulgentias concedere. Ad hoc non temerè dici poteſt, quòd Parochialis ſacerdos, ſicut non habet authoritatem excommunicandi; ita neque indulgentias concedendi. Etenim Parochi ſe habent in Eccleſia, ſicut diuerſarum familiarum præfecti in vna eademque ciuitate, cuius ciuitatis princeps & rector ſolus eſt Epiſcopus vniuerſalis, apud quem propriè reſidet poteſtas excommunicandi, & indulgentias conce-

concedendi; & ſic patet, quia hæc omnia pendent ex diſpenſatione Summi Pontificis.

QVINTA RATIO. Anima mutari non poteſt: igitur indulgentiæ non proſunt.

CONSEQVENTIA nota. ANTECEDENS patet.

SOLVITVR. Negatur conſequentia. Antecedens autem D. Auguſtinus libro de vera religione cap. 13. ſoluit, dicens: *Mutari autem animam poſſe, non quidem localiter, ſed tamen temporaliter, ſuis affectionibus quiſque cognoſcit: corpus verò & temporibus, & locis eſſe mutabile, cuiuis aduertere facile eſt.*

SED CONTRA EST, quod legiſlator, & ſaluator Chriſtus Dominus Math. cap. 16. dicit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

In hunc locum ſcripturæ communis eſt expoſitio S. Auguſt. Tract. 22. & 49. in Ioannem, Hilarij, Hieronymi, Anſelmi, & aliorum: Dominum loqui de poteſtate clauium, qua Apoſtoli & eorum ſucceſſores ligant, vel abſoluunt peccatores. Et quamuis hîc tractari videatur præcipuè de poteſtate iuriſdictionis, qua peccatores excommunicantur; tamen Patres iam nominati, locum hunc de vtraq; poteſtate ordinis videlicet, & iuriſdictionis exponunt.

Item ad Epheſ. cap. 5. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; quoniã vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis eius eſt. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto; ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta, immaculata.* NOTA. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ; ſed inuiſibile: viſibile autem caput Eccleſiæ eſt Papa, cuius eſt officium purgare, illuminare, & perficere Eccleſiam.

Atque hoc ipſum pluribus rationibus poteſt confirmari.

PRIMA RATIO. Vnius corporis vnum debet eſſe caput, vnius domus vnus œconomus, vnius ouilis vnus paſtor, vnius nauis vnus debet eſſe gubernator, vnius exercitus vnus dux & imperator, vnius regni vnus rex. ſed Eccleſia Catholica viſibilis eſt vnum

eſt vnum myſticum corpus, vna domus, vnum ouile, vna nauis, vnus exercitus, vnum regnum: igitur Eccleſia Catholica viſibilis neceſſariò debet habere vnum caput, vnum œconomum, vnum paſtorem, vnum gubernatorem, ducem, imperatorem, & vnum regem. MAIOR à ſimili, & probatur pro ſingulis partibus.

Pro prima parte, Cantic. 7. *Caput tuum*, inquit, *ſponſus ad ſponſam ſicut Carmelus.* Et ſponſa de ſponſo, Cantic. 5. *Caput eius aurum optimum.* Item ad Epheſ. 5. Ex capite autem in totum corpus, & in ſingula membra ſenſus & motus.

Pro ſecunda parte 1. ad Timoth. 3. *Suæ domui benè præpoſitum. &c.* Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?

Pro tertia parte Ioan. 10. *Et fiet vnum ouile, & vnus paſtor.*

Pro quarta parte. 1. Pet. 3. Solus Noë arcam regebat, & in ea tàm hominibus, quàm iumentis imperabat.

Pro quinta parte Cant. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?*

Pro ſexta parte Lucæ 11. *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Vnde Homerus Iliados 2. dicit. οὐκ ἀγαθὸν πολυ κοιρανὶη εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεὺς. & hæc ſententia apud omnes penè ſcriptores eſt celebris.

MINOR ſimiliter pro ſingulis partibus probatur.

Pro prima parte ad Epheſ. cap. 4. *Vnum corpus, vnus ſpiritus.*

Pro ſecunda parte, Pſal. 67. *Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.* Item Act. 1. Apocal. 21.

Pro tertia parte. Ioan. 10. Vnum ouile, non multa ouilia, vnum aluearium, vnum collegium, vna caterua, vna ſocietas, vna congregatio.

Pro quarta parte, Lucæ 5. *Aſcendit autem in vnam nauim, quæ erat Simonis.*

Pro quinta parte D. Hieronymi ad Ruſticum Monachum. In quāuis grandi exercitu, vnius ſignum expectatur.

Pro ſexta parte Lucæ 10.

In ſumma quemadmodum rex vnus eſt apibus, & grues vnum ſequuntur ordine literato; ita debet Eccleſia vniuerſa vnum habere & ſequi ducem, & ductorem primarium, penes quem ſumma rerum omnium, penes quem poteſtas iuriſdictionis & ordinis, penes quem authoritas ligandi atque ſoluendi, penes quem authoritas excommunicandi; & indulgentias concedendi.

SECVNDA RATIO. Cęlum neceſſariò agit in hęc inferiora: igitur & Papa in ſubiectum populum, & per conſequens ſolus papa habet poteſtatem concedendi indulgentias.

CONSEQVENTIA à ſimili: nam ſicut cælum agit in hæc inferiora, motu, lumine, & influentia; ita Papa in Eccleſia agit in ſubiectum populum purgando, illuminando, & perficiendo.

ANTECEDENS eſt Ariſtotelis, & omnium Phyſicorum, & Mathematicorum. &c.

TERTIA RATIO. Quidquid eſt ordinis in domo prudentis patriſfamiliàs; hoc idem multò melius & perfectius eſt, & eſſe debet in domo Dei, in Eccleſia Catholica. ſed in domo prudentis patriſfamiliàs eſt talis ordo; quia inter fratres eſt ſimilitudo amoris & honoris, attamen eſt etiam diſcretio poteſtatis: igitur in Eccleſia Catholica fuit inter ſanctos Apoſtolos ſimilitudo amoris & honoris. attamen fuit etiam diſcretio poteſtatis: & per cōſequens ſolus Petrus Romanus principaliter habet poteſtatem ligandi & ſoluendi, èxcōmunicandi, & indulgentias concedendi.

MAIOR eſt vera à ſimili, & à minori ad maius.

MINOR eſt de lege naturæ, de lege ſcripta, & ſatis patet in ſcripturis de primogenitis, tùm ex prærogatiuis & Priuilegijs primogenitorum. Vnde S. Leo Epiſtola 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicen. *Inter beatiſſimos*, inquit, *Apoſtolos, in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret.* Idem S. Leo, de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, vbi explicat hoc verbum, *Tibi dabo claues: Tranſiuit*, inquit, *in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius Conſtitutio commeauit.*

Fuerunt igitur Sancti Apoſtoli pares inter ſe, honore, & poteſtate ſecundùm quid, & non ſimpliciter.

ADDE, quia non tantùm inter filios apud patrem hęc inuenitur harmonia; verùmetiam apud Dominum prudentem inter ſeruos, inter quos ſæpenumerò inuenitur Maior domo.

QVARTA RATIO. Quidquid optimum fuit in Synagoga, hoc totum tranſlatū eſt ad Eccleſiam. ſed monarchia fuit quid optimū in Synagoga: igitur monarchia tranſlata eſt ad Eccleſiam: & per conſequens penes vnum debet rerum omnium eſſe

ſumma

ſumma & indulgentiarum. MAIOR vera:

MINOR, quia in ſignum huius rei, ſolus Moyſes aſcendit in montem ad Deum Exod. 19. & 24.

Item, Minor probatur: primò conueniunt in hac ſententia veteres ſcriptores omnes Hebræi, Græci, Latini, Theologi, Philoſophi, Oratores, Hiſtorici, Poëtæ. Ex Theologis Hebræis, Philo in libro de confuſione linguarum, laudans Homeri ſententiam: Illud, inquit, multos imperitare, malum eſt: Rex vnicus eſto: non ad ciuitates & homines magis pertinet, quàm ad mundum & Deum.

Ex Græcis, B. IVSTINVS in Oratione exhortatoria ad gentes, multorum principatum noxium eſſe dicit: & contrà principatum vnius, vtilem & ſalutarem: vnius enim, inquit, principatus à bellis, diſsidiisque ſolutus ac liber eſſe ſolet.

Beatus quoque ATHANASIVS in Oratione aduerſus idôla, vt inquit, multitudo deorum, nullitas eſt deorum; ita quoque neceſsè eſt multitudinem principum id efficere, vt nullus eſſe princeps videatur: vbi autem princeps non eſt; ibi prorſus diſturbatio naſcitur.

Ex Latinis idem docet B. CYPRIANVS, qui in Tractatu de Idolorum vanitate, ex eo potiſsimùm probat, Deum eſſe vnum: quia Monarchia, ſit optimum & naturaliſsimum regimen. *Ad diuinum*, inquit, *imperium, etiam de terris mutuemur exemplum, quomodo vnquam regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit?*

Et B. HIERONYMVS in Epiſtola ad Ruſticum Monachum: *Vnus*, inquit, *Imperator, Iudex vnus prouinciæ: Roma, vt condita eſt, ſimul habere duos reges non potuit.*

Denique SANCTVS THOMAS in I. parte Quæ. 103. Arti. 3. & lib. 4. contra gentes cap. 76.

Item, ex Philoſophis PLATO in Polytico vltra medium: Vnius, inquit, dominatio, bonis inſtructa legibus, ſex illarum omnium optima eſt. Gubernationem verò eam, in qua non multi imperant, mediam cenſere debemus: cæterùm, multorum adminiſtrationem, omnibus in rebus debilem atque infirmam.

Platonem ſecutus ARISTOTELES lib. 8. Eticor. cap. 10. Poſtea quàm tres illas formas regiminis enumerauerat, iſta verba ſubiecit: Harum optima regnum: peſsima Reſpublica eſt.

Idem 12. Methaphi. Mala eſt pluralitas principum: Sit ergo vnus princeps.

SENECA lib. 2. de Benefic. Marcum Brutum, ait, non ſatis prudenter egiſſe: cùm Iulium Cæſarem, ſpe libertatis occidit: & rationem reddens, ait: cùm optimus ciuitatis ſtatus ſub rege iuſto ſit.

Porrò, PLVTARCHVS integrum opuſculum de Monarchia, cæteriſque formis, regendæ multitudinis conſcripſit: in quo opuſculo ſententiam ſuam ita expreſsit: Si optio, inquit, eligendi conceſſa fuerit, non aliud eligat, quàm vnius poteſtatem. Et rurſus idem Plutarchus in Solone: cùm dixiſſet Athenis plurimas ſeditiones ortas fuiſſe, cùm Democratia vigeret, addit continuò: Vna autem ſupereſſe ratio videbatur, ad ſalutem & quietem, ſi res delatæ ad dominatum eſſent.

Ex Orationibus Iſocratis, in ea oratione, quæ inſcribitur, Nicocles, multis rationibus hoc ipſum probare contendit.

IOANNES verò Stobęus 45. ſermonum, hoc titulo prænotauit ὅτι κάλλιστον ἡ μοναρχία. atque in eo ſermone Heſiodi, Euripidis, Scrini, Ecfantis, & aliorum multorum, ad hoc ipſum confirmandum teſtimonia producit.

HERODOTVS ex Hiſtoricis lib. 3. qui Thalia inſcribitur, cùm expoſuiſſet cædem Magorum, qui regnum in Perſide occupauerant, exponit etiam diſputationem, quæ inter principes verſata fuerat de Repub. conſtituenda. Cuius diſputationis is exitus fuit, vt diligenter excuſsis eorum ſententiis, qui pro Ariſtocratia, vel Politia certabant, omnium conceſsione, vno tantum excepto Monarchia vtiliſsima & præſtantiſsima iudicaretur, & propterea etiam in Perſide retineretur.

Denique ex Poëtis HOMERVS in lib. 2. Iliados, ſententiam illam protulit, ab omnibus penè ſcriptoribus celebratam: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

CONTRA, non per vnum, ſed per multos voluit Deus Synagogam gubernari: igitur ibi non fuit Monarchia: quia ſcriptum eſt, Numerorum 11. Et dixit Dominus ad Moyſen: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis: facieſq; ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.*

SOLVITVR. Negatur Conſequentia: Nam quamuis Deus ſeptuaginta viros propter cauſas iudicandas Moyſi addidiſſet, tamen ſumma rerum & gubernationis, & ſumma poteſtas in illo exercitu populi fuit ſemper penes vnum Moyſen, vt ſcriptura teſtatur.

PORRÒ, ad illud quod dicitur: *auferam de ſpiritu tuo.* D. Auguſtinus lib. 5. de Trinitate, cap. 14. &c. *Hoc*, inquit, *& de Moyſe intelligendum eſt, cùm ait ei Dominus: Tollam de ſpiritu tuo, & dabo eis*, hoc eſt, *dabo illis de Spiritu ſancto, quem iam tibi dedi.* Hæc ille.

QVIN-

QVINTA RATIO. Cui à Deo, præter cæteros, data eſt hierarchia, & monarchia Eccleſiaſtica, cum clauibus datum imperium, & regnum; eidem ſimul cum omni harmonia datus eſt & theſaurus. ſed ſoli Petro Romano Papæ à Deo præter cæteros data eſt hierarchia, & monarchia Eccleſiaſtica, cum clauibus datum imperium & regnum: igitur ſoli petro Romano Papæ, cum omni harmonia datus eſt & theſaurus: Et per conſequens, ſolus Petrus Romanus Papa, debet diſpenſare theſaurum, & concedere indulgentias.

MAIOR probatur authoritate ſcripturæ, Daniel cap. 4. *Excelſus dominatur ſuper regnum hominum, & cuicunq; voluerit dat illud.* Porrò, cui dat regnum, dat cum regno & theſauros regni.

MINOR probatur authoritate ſcripturæ, Math. 16. cap. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

Hæc & alia ſexcenta poſſunt ad eam rem adferri argumenta. Sed ſi Heretici blaſphemi non acquieſcunt, ſanis & veris ſermonibus Sanctę matris Eccleſiæ Catholicæ, & certis argumentis Catholicorum; audiant igitur horribile Decretrum SS. Concilij Tridentini Patrum, qui Seſsio. 23. De Sacramento Ordinis, Canone 6. definiuerunt, & pronunciauerunt ſic: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam, diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, Anathema ſit.* Eph. 4.

Item, ibidem Cano. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, & per conſequens Papam ipſis Epiſcopis, &c. Anathema ſit.*

COROLLARIVM PRIMVM.

Infinitus theſaurus Eccleſię non eſt diuiſus, ſed eſt vnus & indiuiſus in tota Eccleſia: ideoq; ad vnum & primum caput Eccleſiæ, hoc eſt ad Papam potiſsimum ſpectat eius diſpenſatio: Epiſcopis verò competit, tanquam coadiutoribus Summi Pontificis, qui in partem ſolicitudinis Eccleſiæ gubernandæ ſunt aſſumpti.

Probatur Corollarium, Notabili quinto, cap. primo.

Item, probatur authoritate ſcripturæ Ioã. 19. *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit.*

NOTA: quia hæc tunica inconſutilis, coadunata, ſignificat ſecundùm Patres vnitatem fidei, vnitatem Eccleſiæ, vnitatem Sacramentorum, & per conſequens vnitatem indulgentiarum: ſed præterea quę dicta ſunt, ſignificat vnitatem charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, ad Coloſ. cap. 3. Item, probatur Ratione tali.

Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus indiuiſibilis: igitur & indulgentia vna & indiuiſibilis.

CONSEQVENTIA à cauſa ad effectum: qualis enim eſt cauſa, talis eſt & effectus: & vnius cauſæ tantùm vnus eſt effectus, 1. Poſterior.

ANTECEDENS 1. ad Corinth. 1. cap. *Nunquid diuiſus eſt Chriſtus?* Item, ad Epheſ. cap. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis,* Item, 1. ad Timot. cap. 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ergo vna redemptio, vna indulgentia, ſicut vna oblatio, ad Roma. 10.

PORRÒ, ſi quiſpiam ex 3. Phyſic. arguat ſic: Infinitum eſt diuiſibile: ergo & indulgentia eſt diuiſibilis. Tunc negatur Conſequentia, & ſoluitur primo: quia infinitum Phyſicũ poteſt aliquo modo concedi, quod ſit diuiſibile. ſed infinitum Theologicum eſt indiuiſibile. Rurſus, Si quiſpiam dicat, quia indulgentia datur per partes: ergo eſt diuiſibilis. Tunc ſoluitur ſic: Negatur Conſequentia, & ſoluitur: quia ſi indulgentia diuiditur; tunc non per ſe, ſed per Accidens, vt dicit Caietanus parte I. quæſt. 7. Arti. 3.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Solus Petrus Romanus claudit & aperit regna cælorum: alij verò ab eo miſſi, claudunt & aperiunt regnũ cælorum: Orig. ſuper Math.

Probatio Corollarij, patet Notabili quartò, cap. quinto.

Item, probatur teſtimonio Origenis, Homelia 6. in Matthęum: *Oportebat*, inquit, *aliquid maius habere Petrum præ aliis, ideoq́; ſic dicit: Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunq́; ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: & quæcunq́; ligaueris ſuper terram, erunt ligata.* Non ergo modica differentia eſt, quòd Petro quidem datæ ſunt claues, non vnius cæli; ſed multorum cælorum: vt quæcunque ligauerit ſuper terram, ſint ligata: non tantùm in vno cælo, ſed in omnibus cælis. Ad eos autem, qui multi ſunt ligatores & ſolutores in terra, ſic dicit: vt ſoluant & alligent, non in cælis ſicut Petrus; ſed in vno cælo: quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent vel

ſoluant

ſoluant in omnibus cælis. quantò ergo melior fuerit qui ligat, tantò qui alligatur amplius, quàm in vno cælo alligatur: & quantò melior fuerit qui ſoluit, tantò beatior erit qui ſoluitur, quoniam in omnibus ſolutus eſt cælis.

COROLLARIVM TERTIVM.

OEcumenicum generale Concilium, legittimè cum authoritate conſenſu Summi Pontificis in Spiritu ſancto congregatum, habet plenam iuriſdictionem indulgentias concedendi: ſed capitulum Cathedralis Eccleſiæ ſede vacante, non habet authoritatem dandi indulgentias: quia eſt poteſtas Epiſcopalis.

Probatur Corollarium, Notabili 3. cap. 5. & Notabili 4. cap. 5.

Ratio autem Corollarij eſt: quia Summus Pontifex & Concilium ſunt quid vnum: nam Pontifex eſt caput, Concilium autem membra: ergo per communicationem capitis cum membris, Concilium generale legittimè congregatum, habet plenariam iuriſdictionem indulgentias concedendi. Nam Summus Pontifex, hanc ſuam iuriſdictionem, poteſt cum aliis communicare, & communicat, propter commune bonum, & propter ſalutem Eccleſiæ.

CONTRA, Apoſtolus ſanctus Paulus, ad Epheſ. cap. 4. ſcripſit: *Vnum corpus, vnus ſpiritus, &c. Omnes inuicem ſumus membra, &c.* igitur Corollarium eſt malè poſitum.

CONSEQVENTIA ab Authoritate.

ANTECEDENS ad Epheſ. cap. 4. &c. vt ſuprà.

SOLVITVR ENTHYMEMA: Negatur Conſequentia, nam datur inſtantia: quia idem Apoſtolus ad Roma. cap. 12. dicit ſic: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra, non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra habentes donationes, ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis, differentes, &c.*

Item ſecundò ſoluitur ſic: Chriſtus eſt caput Hierarchiæ viſibilis & inuiſibilis, Petrus autem hierarchiæ viſibilis tantùm.

Tertia Solutio: Membra ſunt duplicia, ſuperiora & inferiora (ſicut genus & ſpecies diuiditur apud Logicos) ſuperiora membra capitis Papæ, ſunt Cardinales, & Patres concilii, Epiſcopi, Sacerdotes, &c. Inferiora membra, communitas in Eccleſia.

COROLLARIVM QVARTVM.

Indulgentiæ dantur extra ſacramenta: quia pertinent ad clauem iuriſdictionis.

Probatio Corollarii, patet Notabili 1. cap. 2. & Notabili 4. cap. 5.
Item patet Corollarium, teſtimonio Magiſtri Sententiarum lib. 4. Diſtinctione 1. & 17.

Item, probatur teſtimoniis Scholaſticorum: & præcipue Reueren. Bartholomæi Fumi, qui in Summa, quam Auream Armillam appellauit, dicit ſic: *Quòd autem ad Prælatos Eccleſiæ, huius theſauri diſpenſatio pertineat, patet per determinationem Leonis Decimi, qui determinauit, quòd diſpenſatio huius theſauri conuenit Prælatis Eccleſiæ: & maximè Papæ, etiam ſine ſacramentis: quia bona communia Eccleſiæ, quæ poſſunt diſpenſari aliter quàm per ſacramenta, à Præſide Eccleſiæ communicari poſſunt. Huiuſmodi autem ſunt merita Chriſti, & Sanctorum in hoc theſauro repoſita: nam Sancti potuiſſent huiuſmodi bona communicare membris Eccleſiæ, ſi voluiſſent abſq; ſacramentis: ergo ſunt ſine ſacramentis communicabilia, ex natura ſua. Et licèt Papa non habeat poteſtatem excellentiæ: & conſequenter, non poſſit conferre totalem effectum ſacramenti ſine ſacramento; tamen benè poteſt partialem effectum conferre: & huiuſmodi eſt remiſſio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ: propterea ſine ſacramentis poteſt dare indulgentiam.*

Item, teſtimonio Dominici à Soto, Diſtinctione 21. quæſt. 1. Art. 3. Concluſione 3. vbi dicit ſic: *Vſus condonandi pœnas, remiſſorum criminum extra ſacramenta, ex duplici fonte frequentari cœpit. Primus fuit, quòd in ortu Eccleſiæ, vt pœnitentiales Canones teſtantur, pœnitentiæ ita ad iuſtum ſolitæ fuerint imponi; vt nihil iudicio ſacerdotis relinqueretur in purgatorio ſoluendum. Alioqui, Sancti illi Patres, non arbitrabantur legittimè clauium poteſtate vti: tunc enim feruor ſanguinis Chriſti in cauſa erat, vt Chriſtiani ad nutum eſſent Eccleſiæ obſequentes. Deinde verò, aucta Chriſtiana familia, tepefactoq; illo calore, cœpit rigor ille canonum languere: & arbitrio ſacerdotum impoſitio pœnitentiarum committi. Sed tandem, cùm neq; illud onus ſatis populus ferre valeret, apertus eſt alius fons pietatis; vt pœnitentiarum rigor in eleemoſynas commutaretur, quæ in cauſas pias, et publicam vtilitatem conducerent: vt notatur in cap. Alexandri: Quod autem. At verò iam noſtra tempeſtate, tum quia pœnitentiæ nimium tenues eſſe cœperunt, tum quia Turcarum incurſus ſunt nobis infeſtiſſimi; factum eſt, vt in ſubſidium aduerſus illos indulgentiarum vſus percrebuerit. Iam ergo hæc Concluſio maneat firma, et fixa: quòd indulgentiarum facultas, non ſolùm fundatur in doctorum ſententia, aut in ſacro Eccleſiæ Canone et vſu; verùm in Sacroſancto Euangelio. Quare eius aſſertio eſt de iure diuino: eiuſq; adeò negatio manifeſtaria hæreſis.* Hæc ille.

Contra: Ad poteſtatem Excellentiæ, quæ ſolius Chriſti eſt, ſpectat; vt effectus ſacramenti, ſine ſacramento detur. Sed pœnæ peccato

cato debitæ dimiſsio ſecundùm totum aut partem debiti eſt effectus ſacramenti pœnitentiæ: nullus ergo purus homo poteſt aliquid de pœna peccato debita dimittere, niſi quantum dimittitur ſacramentalis abſolutionis virtute. Per indulgentias ergo, quæ ſine ſacramento pœnitentiæ conceduntur, nihil de pœnæ peccato debitæ dimittitur. Sanè inferior non poteſt, neque debet præfixum & præſcriptum à ſuperiore iuſtitię ordinem mutare & inuertere. ſed Deus abſoluendo à culpa obligat hominem ad pœnam temporalem perſoluendam: igitur purus homo non poteſt aliquid de pœna temporali extra ſacramenta dimittere.

MAIOR eſt D. Thomæ Aquinatis ſuper 1. ad Corinth. cap. 1. Lect. 2. vbi dicit: *Ad propriam virtutem Chriſti ſecundùm humanam naturam pertinet: quia poteſt effectum ſacramentorum ſine ſacramento conferre.*

MINOR eſt Magiſtri Sententiarum, lib. 4. Diſtinct. 16.

SOLVITVR. Duplex eſt ſacramenti effectus: remiſsio culpæ, & collatio gratiæ vnus: & remiſsio, vel dimiſsio pœnæ alter. Hanc igitur Dei ordinationem indulgentiæ non tollunt, ſed faciunt potiùs & implent: nam Deus culpam remittens, & ad pœnam temporalem obligans voluit huiuſmodi pœnam, vel per proprium debitorem, vel per aliquem alium, qui vicem illius ſuppleret, malum tolli & expiari. Itaq; Prælatus pœnis à Deo taxatis, ſatisfacit per indulgentias de theſauro Eccleſiæ; idque Chriſti authoritate etiam ſine ſacramentis: ſacerdos verò in foro pœnitentiæ per virtutem ſacramenti, poteſtate clauium partem pœnitentiæ à Deo taxatæ remittit.

CONTRA. Scriptum eſt Ezechielis cap. 18. *Et cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* Ergo ſi ipſemet impius conuerſus animam ſuam poteſt viuificare, & viuificat: ergo non habet opus ſolutione & abſolutione, tàm ſacramentali, quàm ſine ſacramento: & per conſequens non opus habet indulgentijs.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia: quia conuerſus impius non ſimpliciter animam ſuam viuificat; ſed obſeruatis conditionibus, & circumſtantijs illis. Prima, ſi auerterit ſe ab impietate. Secunda, ſi fecerit iudicium: iuxta illud 1. ad Corinth. 11. *Si nos ipſos iudicauerimus, non vtiq; iudicaremur. etc.* Tertia, ſi fecerit iuſtitiam. Porrò facere iudicium & iuſtitiam, eſt dolere, & ſubmittere ſeſe Summo Pontifici danti indulgentias, & proprio ſacerdoti pro peccatis: tùm, ſub indulgentia habere cor contritum & humiliatum, cofiteri peccata, & cum Matthæo, Zachæo, & Maria Magdalena ſatisfacere per pœnitentiam pro peccatis: & hoc eſt facere iudicium & iuſtitiam, hoc eſt, ſeipſum

iudicare.

iudicare. 1. ad Corinth. 11. Vnde Hilarius: *Circumſtantiæ ſcripturarum, ſolent ſcripturæ ſenſum aperire.*

COROLLARIVM QVINTVM.

Nullus poteſt ſibi ſoli dare indulgentiam; ſed poteſt vti ea, quam dat pro alijs.

Probatur Corollarium Notabili 4. cap. 5.

Ratio autem Corollarij eſt: quia nihil agit in ſeipſum. Vnde neque ſacerdos ſeipſum abſoluit: iuxta illud Ioan. 13. *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Neq; rex ſeipſum iudicat; ſed commiſſarij regis cauſam iudicant: neque medicus ſeipſum curat, ſed eget opera & conſilio alterius medici. Quemadmodum igitur nemo poteſt ſeipſum à peccatis proprijs abſoluere; ita nemo poteſt ipſemet ſibiipſi indulgen tiam dare.

Porrò, ſi quiſpiam dicat: quid ergo proſunt indulgentiæ Prælatis qui eas concedunt? Reſpondetur eis prodeſſe: quia non ſunt peioris conditionis, quàm cæteri homines: vnde quamùis primò & principaliter non poſſunt ſibi indulgentias concedere, poſſunt nihilominus vti, ſicut & alij ad pœnæ remiſsionem. Licèt ergo non poſsit ſibi directè indulgentiam concedere; præſtando tamen, quod alijs faciendum præcipit, ſine dubio indulgentias conſequitur. Papa vt ſubdit ſe ſacerdoti, à quo à peccatis abſoluitur: eodem modo poteſt ſe alio ſubdere, & ei facultatem concedere, vt ſibi indulgentiam etiam citra confeſsionem impertiatur: concedere enim indulgentias eſt actus iuriſdictionis; nullus autem ſupra ſeipſum iuriſdictionem exercere debet, vt ſuprà.

CONTRA, Sicut Prælatus authoritatem non habet abſoluendi ſe à culpa; ita etiam non poteſt ſeipſum abſoluere à pœna: igitur indulgentia non poterit Prælato prodeſſe.

SOLVTIO. Non valet conſequentia: quia licèt Prȩlatus non poteſt directè ſeipſum abſoluere; poteſt tamen indirectè, hoc eſt, authoritatem abſoluendi alteri concedendo.

COROLLARIVM SEXTVM.

Homo per ſe cadere poteſt; ſed ſine gratia Dei reſurgere non poteſt, contra Pelagium.

Probatio Corollarij Notabili 4. cap. 5.

Item probatur authoritate ſcripturæ, Oſee 13. *Perditio tua ex te Iſraël, tantum modò in me auxilium.* Item patet Lucæ 10. de homine qui incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſi-

impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. &c. Item Ioan. cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Item 2. ad Corinth. cap. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Super quibus verbis D.Tho. Aqu. dicit ſic: *Nam in quolibet proceſſu operis, primò eſt aſſenſus qui fit cogitando: deinde collatio per verbum: & poſtmodum impletio per opus. Vnde fit, vt ſi nec cogitare quis à ſe habeat, ſed à Deo, non eſt dubium, quòd non ſolùm perfectio boni operis eſt à Deo, ſed etiam inchoatio, ad Philip. 1. Qui capit in vobis opus bonum. &c. Et hoc eſt contra Pelagianos dicentes, Quòd inchoatio boni operis eſt ex nobis; ſed perfectio à Deo. Iſaiæ 26. Omnia enim opera noſtra operatus eſt nobis. Sed ex hoc ne videatur tollere libertatem arbitrij, dicit, A nobis, quaſi ex nobis: Quaſi dicat, poſſum quidem aliquid facere quod eſt liberi arbitrij: ſed hoc quod facio non eſt ex me, ſed à Deo, qui hoc ipſum poſſe confert; vt ſic & libertatem hominis defendat, cùm dicit, A nobis, id eſt, à noſtra parte: & diuinam gratiam commendat, cùm dicit, Quaſi ex nobis, ſcilicet procedat, ſed à Deo. Hoc etiam Philoſophus vult, quòd nunquam homo per liberum arbitrium poteſt quoddam bonum facere, ſine adiutorio Dei. Et ratio eſt: quia in his quæ facimus, quærendum eſt illud, propter quod facimus. Non eſt autem proceſſus in infinitum; ſed eſt deuenire ad aliquid, puta ad conſilium, quod eſt à Deo.* Hæc D. Thomas.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Diſpenſatores indulgentiarum, quia redemptionis theſaurum diſpenſant, & mediatoris officio funguntur, debent exemplo mediatoris ſui capitis Chriſti medium tenere: non debent eſſe nimium ſeueri propter infirmos, neq; nimium faciles propter diſcolos & inquietos, ne diſciplina Eccleſiaſtica eneruetur.

Corollarium patet Notabili tertio cap. 5.

Item probatur authoritate ſcripturæ, 1. ad Corinth. cap. 9. *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem.* Item 1. ad Theſſal. cap. 5. *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; ſed ſemper quod bonũ eſt, ſectamini in inuicem, et in omnes.*

Item probatur authoritate SS. Concilij Tridentini, Seſ. 25. Decreto de indulgentijs. Vide ſuprà.

COROLLARIVM OCTAVVM.

Apud liberalem Dominum diſpenſator non debet eſſe parcus. D. Chryſoſtomus.

Proba-

Probatur Corollarium Notabili 3. cap. 5. & Notabili 4. cap. 4. & 5.

Item probatur authoritate ſcripturæ. Pſalm. 129. & 2. ad Corinth. cap. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Unusquisque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare, facere in vobis; vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.*

Item probatur ratione.

Apud liberalem Dominum, diſpenſator debet eſſe fidelis, & prudens: igitur non debet eſſe parcus.

CONSEQVENTIA ab honeſto & decoro.

ANTECEDENS Matth. 24. Lucæ 12. *Fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam; vt det illis in tempore tritici menſuram.* D. Thomas prima ſecundæ Quæſt. 97. Articul. 4. *Infidelis eſt qui diſpenſat, non habens intentionem ad bonum commune. Imprudens autem, qui non habet rationem diſpenſandi.* Item & Gabriel, li. 3. Diſtinct. 39. Quæſt. 1. Articul. 2. Concluſi. 9. *Diſpenſator fidelis eſt, ſi ad honorem domini ſui, & iuſtitiam, ac ſalutem ſubditorum, authoritatem acceptam diſpenſat. Talis fuit Moyſes; & propterea habet bonum & magnum teſtimonium in ſcriptura Numero. cap. 12. Moyſes in omni domo mea fideliſſimus eſt: & idem Moyſes erat mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Contra quidam diſpenſator in Euangelio accuſatur, diffamatur; & propterea priuatur, vt Luc. cap. 16. Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris amplius villicare: propterea Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 4. dicit: Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.*

COROLLARIVM NONVM. Contra Lutherum.

Indulgentię non dantur pro temporalibus ſecundùm ſe; ſed vt temporalia ordinantur ad ſpiritualia, ideò non eſt Symonia.

Corollarij probatio patet Notabili 4. cap. 4. Et in ſolutione argumenti decimi.

Item probatur authoritate ſacræ ſcripturæ, Lucæ cap. 6. *Date, & dabitur vobis.* Danda ſunt igitur temporalia, vt habeantur ſpiritualia, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos?*

CONTRA. Spiritualia non debent dari pro temporalibus. ſed indul-

indulgentię nonnunquã dantur ad ędificandas baſilicas,Scholas,Prochodochia, Xenodochia: ergo non debent dari.

Maior Act. cap. 8. Petrus dixit ad Simonem Magum: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.*

Minor ad ſenſum eſt in communi vſu hominum in Eccleſia Catholica, neque hoc prohibent ſacerdotes.

Solvitvr. Negatur Conſequentia: propterea, quia D. Auguſtinus lib. 2. de moribus Manichęorũ ca. 13. dicit:quia intentio diuerſificat ſpecies; & quia hæretici benefacta Catholicorum, in malam accipiunt partem. Ergo ſecundùm verbum Chriſti Matth. cap. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Et ſecundùm verbum Apoſtoli ad Titum cap. 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum; ſed inquinatæ ſunt eorum & mens, et conſcientia. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.*

Secvnda Solvtio. Negatur Conſequentia: quia ſpiritualia, & indulgentiæ in Eccleſia Catholica, non dantur pro temporalibus; ſed vtique homines debent pro officio dare honorem Deo, iuxta illud Prouerbiorum 3. *Honora Deum de tua ſubſtantia.* Et in recognitionem gratitudinis ſuæ, pro gratia debent ſecundùm facultates reſpondere.

COROLLARIVM DECIMVM.

Indulgentiæ non menſurantur ſecundùm deuotionem, vel laborem recipientis, aut ſecundùm quantitatem dati, aut ſecundùm cauſam pro qua dantur; ſed ſecundùm intentionem dantis.

Corollarium patet Notab. 4. cap. 3. 4. 5. Item, eſt D. Thomæ ſuper 4. Diſtinct. 20. & aliorum Scholaſticorum, qui præcipiunt formam verborum, in Bulla ſemper diligenter obſeruandam eſſe, propter cognoſcendam intentionem Pontificis.

COROLLARIVM VNDECIMVM.

Indulgentiæ datæ ab exiſtenti in mortali peccato, tantum valent quantum à ſanctiſsimo, cùm non remittat ex vi ſuorum meritorum, ſed ex vi meritorum depoſitorum, creditorum, & reconditorum, in theſauro Eccleſiæ.

Corollarium probatur, Notabili 4. cap. 5.

Ergo poteſtas dandi indulgentias, non adimitur Epiſcopis,qui vitę probitate non pollent. Ratio. Nam ſi maius eſt in foro conſcien-

tiæ,ſine pœnitentia à culpa abſoluere; multò magis poterunt à pœnæ temporali per ſcripta liberare. Qui igitur aliqua malitiæ labe aſperſi, ſunt Paſtores, ſi fas ſit ita loqui,indulgentias concedere valent: quippe, quia non faciunt indulgentias de proprio merito, quo iam ſunt priuati; ſed de theſauro Eccleſiæ, qui illorum malitia non inficitur, nec euaneſcit poteſtas diſpenſandi. Ratio autem, quare diſpenſandi theſauri Eccleſiæ ſolis Epiſcopis commiſſa ſit poteſtas, hæc eſt:quia ipſi ſunt ſponſi Eccleſiæ, quorum intereſt filios Eccleſiæ perfectos, & imperfectos nutrire, iuuare, ſuſtentare, erigere, & ad perfectum ſtatum deducere. Habet enim Eccleſia hunc theſaurum ex diſpenſatione ſua, cum vnico viro ſuo Chriſto Domino,cui filios ſeu fideles quotidie parit, ad quorum educationem ſuſtentandam,Deus prouidit de theſauro inexhauſto, & incorruptibili, quem tinea non poteſt corrumpere.

CONTRA prædicta arguitur ſic: Riuus in quem fons non influit, nuſquam poteſt profluere: quia mox areſcit & euaneſcit. ſed inſtar riui,ſine fonte, malus prælatus ſe habet: ergo in alios non poteſt profluere, qui ſibi deficit.

MAIOR à ſimili. MINOR Nota.

SOLVITVR. Non valet Conſequentia: quia ſimilitudo claudicat. Cæterùm malus Prælatus, cùm dat indulgentias,nihil dat in commune de ſuo, ſed vtitur iuriſdictione ſibi commiſſa: ergo indulgentia à bono Prælato non melioratur, & à malo non peioratur. optandum tamen eſt,vt ab optimo proficiſcatur.

Item, Maius eſt indulgentias concedere, quàm recipere: ſed exiſtens in mortali peccato, non poteſt indulgentias recipere: ergo multò minus poteſt eas concedere, quia nihil dat, quod non habet: Ariſtotel. Elenchorum 1.

MAIOR vera. MINOR patet in Corollario ſequenti.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia: nam dare indulgentias maius eſt, ratione auctoritatis, non autem vtilitatis: peccatum verò mortale, facilius impedit vtilitatem, quàm authoritatem.

Item, Nullus ſapiens ſibi inimico theſauri diſpenſandi committit authoritatem. Igitur improbo Prælato Dei inimico, non eſt veriſimile ex ſententia Dei ſapientis fuiſſe commiſſam.

CONSEQVENTIA à Repugnantibus.

ANTECEDENS patet ex prouerbio: Cui das, videto.

SOLVITVR. Negatur Conſequentia. Nam ratio hæc, locum habet in eo, qui contra Domini voluntatem theſaurum diſsipare & diſtrahere ſolet, quòd non contingit in indulgentiarum negotio: Indulgentiæ

gentiæ enim,vt proſint ſecundùm Dei voluntatem,ex rationabili cauſa ſunt concedendæ. Item Soluitur: Deus quando vult, & vbi vult, multa bona etiam per malos operatur.

Nota. Quòd quemadmodum poteſt aliquis conſequi indulgentias per miniſtrum peccatorem,eleemoſynas largiendo; ita poteſt aliquis applicare indulgentias alteri exiſtenti in gratia, quamuis ſibi nõ poſsit, ſi talis conditio in Bulla expreſsè contineatur.

COROLLARIVM DVODECIMVM.

Cùm indulgentiarum beneficium opus ſit gratiæ diuinæ; nihil niſi Dei amicis valere poteſt.Vnde ſequitur: quia indulgentię non valent exiſtenti in mortali peccato, propter obicem. D. Thom.

Corollarium probatur Notabili ſeptimo, cap. tertio.

Item, probatur authoritate ſcripturæ, Matth. 22. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?*

Item, probatur Ratione: Cuicunque remittitur pœna, eidem priùs remitti debet culpa. ſed exiſtenti in mortali peccato, nondum remiſſa eſt culpa: igitur exiſtenti in mortali peccato, non poteſt remitti pœna: & per conſequens indulgentiæ non valent exiſtenti in mortali peccato, propter obicem. Verùmtamen, ſi huiuſmodi homo libenter quærit & petit indulgentias, conſultè facit: diſponit enim ſe de congruo ad remiſsionem peccatorum, per gratiam ſeu miſericordiam Dei obtinendam.

Maior vera ex ordine, lege, & proceſſu indulgentiarum.

Minor Nota.

Sed Contra eſt: quia Sylueſter ex ſchola D. Thomę ponit, & tenet in ſua Summa dicẽs: Dimitti in indulgentiis mortalia peccata ſine cõfeſsione,quod etiã probatur ſic:Vbi maius eſt vulnus & peccatum;ibi maior debet eſſe, & oſtendi gratia, miſericordia, & medicina. ſed homo exiſtens in mortali peccato,grauius patitur vulnus:ergo maiori opus habet gratia, miſericordia, & medicina. Et per conſequens debet particeps fieri indulgentiæ, vt per eam Dei miſericordia ei communicetur. Maior vera. Minor Nota.

Solvitvr. Non valet Conſequentia: nam datur inſtantia Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Verùm quidem eſt, ei maiori miſericordia opus eſſe: ſed quia minus capax eſt, eam conſequi non valet. Nemini enim dimittitur pœna, niſi prius dimiſſa fuerit culpa, ſecundùm commune ius indulgentiarum. Secus eſt, ſi concedantur indulgentiæ tali intentione, vt abſque Confeſsione peccatores abſoluantur ſimpliciter.Verùmtamen ſecundùm com-

munem formam indulgentiarum, ſolent poni conditiones, vt, Verè pœnitentibus, contritis,& confeſsis, &c. Iuxta illud, Math. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

CONTRA. Maius eſt gratiam impetrare,quàm remiſsionem pœnę. ſed aliquis ſuis precibus poteſt alicui gratiam impetrare: igitur Prælatus poteſt eidem partem pœnæ condonare.

MAIOR vera. MINOR Nota.

SOLVITVR. Non valet Conſequentia: quia non arguitur in genere, neque à ſimili. Nam gratiæ impetratio per meritum congrui, Satisfactio verò de pœnis condonandis, per meritum condigni, vtique per theſaurum Eccleſiæ acquiritur. vnde exiſtens in charitate, & faciens quod in forma indulgentiæ continetur; remiſsionem pœnæ,quæ in forma indulgentiæ eſt conceſſa, aſſequitur.

Porrò, exiſtenti in gratia, qui parùm aut nihil curat, operibus pœnalibus Purgatorij pœnam redimere,non proſunt indulgentiæ: quia, qui ſibi opem non fert, & ſibiipſi deeſt; auxilio & ope amicorum indignus eſſe cenſetur. Cupientis ergo indulgentias conſequi, paratus debet eſſe animus, ad ſatisfaciendum Deo, vel per ſe, vel per alium: debet etiam intenta eſſe voluntas ad placandum Deum,& conſequendam gratiam eius per ſanctorum merita, nec tam pœnam redimere, quàm Deum placare, intendere, & ſatagere debet.

Cæterùm, cùm Bulla non debeat pro opere malo, quale eſt opus moraliter malum concedi, actus in ſuſcipiente moraliter bonus deſideratur. Siniſtra enim intentio, ſiue vana gloria, ab opere aufert bonitatem moralem. Conſultius ergo eſt, vt quilibet fidelis, tempore, quo recipit Bullam, ipſe ſeipſum ad Deum conuertat, ſeipſum corrigat, emendet, corde contrito pro commiſsis doleat, & propoſitum habeat pœnitendi, confitendi, ſatisfaciendi, & nunquam poſtea ad peccata redeundi.

CONCLVSIO SEPTIMA.

INdulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, ſi adſit authoritas dantis, charitas recipientis, & rationabilis, iuſta, & pia cauſa.

Veritas Concluſionis patet Notabili quarto, cap. quarto.

Pro maiori euidentia Concluſionis ſciendum: quia quantitas effectus, ſequitur quantitatem ſuæ cauſæ. cauſa autem remiſsionis pœnę in indul-

in indulgentiis, eſt abundantia meritorum (vt dictum eſt Concluſione quinta) quæ ſufficienter ſe habet ad totam pœnam expiandam, quatenus ergo huius theſauri diſpenſator merita illa attribuerit, ſiue applicauerit, ſic valere dicimus: non enim ex recipientis, aut ex cauſa propter quam dantur, ſed ex authoritate, intentione, & voluntate indulgentias diſpenſantis, valorem indulgentiarum metiri debemus. Itaque, vt recta ſit, & Deo grata indulgentiarum diſpenſatio, inprimis opus habet legittima authoritate diſpenſantis: deinde vnione eius, cui diſpenſantur, attribuuntur, & applicantur ad eum, qui merebatur, quod fit per charitatem: poſtremò diſpenſationis ratione, in quo ſaluatur intentio illorum, qui opera meritoria comparârunt: non enim ea intentione laborârunt, vt iumenta computreſcerent in ſtercoribus ſuis; ſed potius, vt qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus, ſanctificetur adhuc: vt ita depoſitis malorum ſarcinis & peccatorum pœnis, ſolutisque doloribus peccator, cum prodigo filio reuertatur in domum patris ſui, & inuenta gratia, ſeruiat melius patri, Lucæ 15.

NOTA: quia indulgentiæ nobis applicantur, ſecundùm quantitatem noſtræ contritionis, & deuotionis, quæ ex Dei gratia procedit: itaque excitanda eſt in populo contritio, & deuotio, cùm aliis ſcripturis, tum illis Prophetæ verbis, Pſal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Verùmtamen propè timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria eius in terra noſtra. Miſericordia & veritas, obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.*
Item, Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Item, Matth. 13. Marc. 7. Lucæ. 8. *Qui habet aures audiendi audiat.*

COROLLARIVM PRIMVM.

Prædicatores nunquam debent aſſertiuè publicare indulgentias, ſed recitatiuè, vel opinatiuè, ne falſas prædicent, & alios in errorem inducant.

Probatur Corollarium Notabili 4. cap. 3. 4. 5.

Item, probatur authoritate ſcripturæ, Pſalm. 111. *Iucundus homo qui miſeretur, et commodat: diſponit ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.*

Item, Prouerb. 16. *Hominis eſt animum præparare, & Domini gubernare linguam.* Item, Prouerb. 17. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus, vir eruditus, &c.*

Item, 2. ad Corint. cap. 5. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians ſibi: non reputans illis delicta ipſorum: & poſuit in nobis ver-*

verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo, &c.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Forma indulgentiarum, niſi ad iniunctas, vel non iniunctas pœnitentias, coarctetur, vniuerſim de omnibus intelligitur: idque quantum ad pœnas temporales, quæ vel hîc, vel in purgatorio ſunt nobis decretæ.

Probatio Corollarii, patet Notabili 1. cap. 5. & Notabili 4. cap. 3. & 4. Item, probatur apud Dominicum à Soto, Diſti. 21. quęſt. 2. Art. 1.

COROLLARIVM TERTIVM

Antiquitus in more fuit, indulgentias nonniſi de iniunctis pœnitentiis conferri: non tamen lata eſt lex, ne de aliis conferantur: quoniam nullibi talis lex eſt ſcripta.

Probatur Corollarium Notabili 1. ca. 5. & Notabili 3. cap. 5. & Notabili 4. cap. 3. & 4.

COROLLARIVM QVARTVM.

Eccleſia nunc, non modò de iniunctis, ſed abſolutè de omnibus pœnis, indulgentias tribuit, abſque vlla iniunctarum pœnitentiarum mentione.

Probatio Corollarii, patet Notabili 1. cap. 2. & 5. & Notabili 4. cap. 3. & 4.

COROLLARIVM QVINTVM.

Qualitatem commendat numerus.

Corollarium probatur Notabili 4. cap. 4. &c. Et eſt commune adagium apud Scholaſticos.

COROLLARIVM SEXTVM.

Spirituum ponderator eſt Dominus, Prouerb. 16.

Probatur Corollarium Notabili 4. cap. 4.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Conſilium ſolum & ſanum; quod abſque curioſa diſcuſsione de præciſa, vel euidenti & certa quantificatione, ſeu menſuratione indulgentiarum, ſtudeat homo prius, ſecundùm poſsibilitatem ſuam, & qualitatem deuotionis ſuæ, tales acquirere, pondus autem valoris illi relinquere, qui omnia fecit, & facit in numero, pondere, & menſura, Sapien. 11.

Probatur Corollarium, Notabili quarto, capite quarto.

COROLLARIVM OCTAVVM.

Melius eſt meritum & pręmium in infinitum, quàm quæcunque indulgentiæ.

Probatur Corollarium Notabili 6. cap. 2.

Item, probatur teſtimonio D. Thomę Aquinatis ſup. 4. Diſt. 20. Ratio verò huius Corollarij eſt: quia quęrere indulgentias, vt pœnalia opera vitentur, imperfectorum eſt. Quærunt enim indulgentias amore rerum delectabilium, odio habentes temperantiam, cuius actus ſunt opera pœnalia, appetitui carnis oppoſita. Porrò, perfecti indulgentias poſtulant, & petunt gratia Deo ſatisfaciendi, & cæleſtis patrię deſiderio, ne in purgatorio diutius remorentur & patiãtur: horum finis quoniam eſt bonus; res quoque bona eſſe cenſetur: his prodeſſe indulgentias, nullum dubium eſſe poteſt.

Item, confirmatur argumento tali: Finis melior eſt deſtinatis ad finem: ſed pręmium in infinitum eſt finis, indulgentiæ verò ſunt deſtinatæ ad finem: igitur melius eſt pręmium in infinitum, quàm quæcunque indulgentiæ. MAIOR eſt Ariſtot. lib. 3. Topico. cap. 1. MINOR ex ſupradictis patet. Nam indulgentia eſt medium ad finem, pręmium autem iam eſt finis. Item, totum melius & nobilius eſt ſua parte.

COROLLARIVM NONVM.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Pſalm. 31.

CONCLVSIO OCTAVA.

CAtholici ſummo conſenſu credunt, confitentur, affirmant, & docent, Chriſtum Dominum, Beato Petro clauigero, & eius ſucceſſoribus, theſaurum Eccleſiæ reliquiſſe; & commiſiſſe, ſalubriter fidelibus diſpenſandum, & pro piis & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſsione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm ſpecialiter, verè pœnitentibus, & confeſsis, miſericorditer applicandum.

Veritas Concluſionis patet Notabili 4. cap. 2. Item patet ex Concluſione 4.

COROLLARIVM PRIMVM.

Catholici credunt, confitentur, & docent, in confeſsione debita pœnitentis, & ordinata ac legittima abſolutione ſacerdotis, pœnam æternam cum culpa remitti, ſed temporalem pœnam ſæpè remanere.

Probatur Corollarium Notabili 4. cap. 2.

Item probatur authoritate SS. Concilij Tridentini Seſs. 6. cap. 14. & Seſs. 14. cap. 8. Titulo de lapſis & eorum reparatione. *Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum, merito Chriſti, amiſſam gratiam recuperare procurauerint: hic enim iuſtificationis modus, eſt lapſis reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro ijs, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus ſacramentum inſtituit pœnitentiæ, cùm dixit Ioannis* 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Vnde docendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali, eaq́; contineri non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum: verùm etiam eorundem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam; & ſacerdotalem abſolutionem, itemq́; ſatisfactionem per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſacramentali voto, vnà cum culpa remittitur; ſed pro pœna temporali, quæ vt ſacræ literæ docent, non tota ſemper; vt in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam acceperunt ingrati Spiritum ſanctum contriſtauerunt, & templũ Dei violare non ſunt veriti.* &c. vt ſuprà, Concluſione 3. Corol. 7.

Porrò, contra hæreticos, qui totam pœnam cum culpa ſimul remitti contendunt, idem Sacroſanctum Concilium Tridentinum, Seſſio. 14. Canone 12. decreuit & pronunciauit ſic: *Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo: ſatisfactionemq́; pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe: Anathema ſit.*

COROLLARIVM SECVNDVM.

Sententia ſacerdotis, qua hominem vel ſoluit ad gratiam, vel ligat ad pœnam, rata eſt apud Deum.

Probatio Corollarii, patet Notabili 1. cap. 4.

Item, probatur authoritate ſacræ ſcripturæ, Matth. 16. & Ioan. 20.

Spon-

COROLLARIVM TERTIVM.

Spontanea pœnitentia huius ſeculi,plus valet ad remiſsionem pœnæ, quàm æqualis in purgatorio : & hoc intelligitur cæteris paribus.

Probatur Corollarium Notabili quarto, cap. 3. & quarto.

Item, probatur authoritate Scripturæ, Lucæ 15. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo, coram angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper Nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia?*

Item, exemplum habemus in Apoſtolo, qui ſponte etiam à licitis abſtinebat propter retributionem : vnde dicit : 1. ad Corinth. cap. 9. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ſolus ego, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi.*

D. Hilarivs ſuper Pſalm. 118. ſuper illis verbis: *Voluntaria oris mei. Habet hanc,* inquit, *conſuetudinem Apoſtolus, vt voluntaria legitimis anteponat: vt, quando dicit* 1. ad Corinth. cap. 7. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.*

Item, probatur teſtimoniis ſanctorum Patrum : D. Ambrosivs ſuper Pſalmum centeſimum decimum octauũ, Sermone decimo quarto, ſuper illis verbis: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine,* dicit ſic: *Qui ſe humiliat, viuificatur ſecundùm promiſſum Domini: qui viuificatur ſpiritu Dei, voluntarius eſt miniſter. Plurimum enim refert, vtrum ex voluntate quid facias: aut ex neceſsitate quod placeat Deo. Deniq; voluntarius miniſter habet præmium: coactus diſpenſat obſequium, ſicut Apoſtolo dicente 1. ad Corinth. cap. 9. cognouimus: ſcripſit enim: Væ enim mihi eſt, ſi non Euangelizauero: Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Vide voluntarium executorem cæleſtis arbitrij. Liber erat ex omnibus: & omnium ſeruus eſt factus, voluntate vtiq; non neceſsitate, vt plurimos lucraretur. Iis quoq;, qui legis vinculo tenerentur, quaſi ſub lege eſſet, ſe exhibuit; cùm ſub lege non eſſet, vt eos ſeruaret, qui ſub lege viuebant. Infirmis infirmus factus eſt, vt infirmos aſſumptione infirmitatis propriæ ſuſtineret. Omnibus omnia factus eſt; non legittima neceſsitate, ſed voluntatis obſequio. Aperuit mihi huius altitudinem conſilij in Epiſtola ad Philemonem ſcripta: quia quod ipſe eſſet, alium eſſe vellet, vt voluntate potiùs, quàm neceſſitate detuliſſe domino videretur. Itaq; pro Oneſimo interueniens, ſic ait: Tu autem illum vt mea viſcera ſuſcipe, quem ego volueram mecũ detinere, vt pro te mihi miniſtra-*

miniſtraret in vinculis Euangelij; ſed ſine conſilio tuo nihil facere volui, ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Quam ſedulus ſuaſor, qui cùm eſſet vas electionis diuinæ, conſortium conſilij non dedignabatur alieni, ne alterum fructu voluntatis propriæ defraudaret. Hæc D. Ambroſius vbi ſuprà.

D. CHRISOSTOMVS, libro ſecundo de dignitate ſacerdotali, cap. 3. *Deus enim noſter non neceſſitate ſubmotos à peccato, ſed ſuo libero arbitrio, & propria ſeſe ſponte abſtinentes, eſt remuneraturus.*

Propterea Dauid, Pſalm. 24. orat: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.*

Item, Pſalm. 30. *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam: ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.*

Item, Pſalm. 106. *Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.*

CONTRA. Beatus Paulus Apoſtolus ad Hebr. cap. 10. dicit ſic: *Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam expectatio iudicij.* Propterea ſacra Scriptura nos admonet, Eccleſiaſt. cap. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quaſi rомphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas.*

COROLLARIVM QVARTVM.

Pœnam temporalem intelligimus, tum in præſenti vita, tum in futura, ſiue in Purgatorio. ſed pœna alterius vitæ propriè peccatis omnibus & ex condigno debetur: pœna autem huius vitę ſolùm ex congruo certis peccatis à Deo infligi ſolet.

Probatio Corollarii, patet Notabili quarto, cap. ſecundo.

COROLLARIVM QVINTVM.

Pœna purgatorij acerbior eſt, quàm aliqua, quæ ſit in hac vita.

Veritas Corollarii, patet Notabili quarto, cap. tertio.

Item, Deutero. 25. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.*

Item, Apocalip. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum.*

Item, probatur teſtimonio Beati Auguſtini, qui in libro de vera & falſa pœnitentia, cap. 18. dicit ſic: *Sed ſi etiam ſic conuerſus euadat, vita viuat, & non moriatur: non tamen promittimus quod euadat omnem pœnam: nã priùs purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculũ diſtulit fructum conuerſionis. Hic autem ignis, etſi æternus non ſit, miro tamẽ modo eſt grauis: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam paſſus eſt aliquis*

quis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta eſt pœna; licèt mirabilia paſſi ſint martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tanta ſuſtinuerint ſupplicia. Studeat ergo quilibet ſic delicta corrigere, vt poſt mortem non oporteat talem pœnam tollerare. Quædam enim peccata ſunt, quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia ſunt venialia, non tamen ſtatim ſanata: ſæpè enim quidam ægri morerentur, niſi medicarentur, nec ſtatim ſanantur. Languet victurus, qui prius erat moriturus: qui autem impœnitens moritur, omninò moritur, & æternaliter cruciabitur. Qui enim impœnitens moritur, vel finitur; ſi ſemper viueret, ſemper peccaret. At Dei eſt miſerentis, qui operatur finem peccantis; ob hoc etiam ſine fine torquetur: quia nunquam ditatur virtute, ſemper plenus iniquitate, ſemper ſine charitate, torquetur ſine fine. Omnia iſta mala deuitat pœnitentia, quæ dolorem ſemper expetit in pœna. Continuè enim dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando. Pœna enim propriè dicitur læſio, quæ punit & vindicat, quod quiſq; commiſit. Ille igitur pœnam tenet, qui ſemper punit quod commiſiſſe dolet. Suprà dictis itaq; modis requirat indulgentiam, qui dolet de culpa: non erubeſcat confiteri peccata peccatori. Si enim ſacerdos peccata non haberet, erubeſcere poſſet, qui peccata ſua ei manifeſtaret. Sacerdos itaq; cui omnis profertur peccator, antè quem ſtatuitur omnis languor, in nullo eorum ſit iudicandus, quæ in alio iudicare eſt promptus: iudicans enim alium, qui eſt iudicandus, condemnat ſeipſum. Cognoſcat igitur ſe, & purget in ſe, quod alios videt ſibi offerre: Caueat ergo, vt à ſe abiecerit, quidquid in alio damnoſum repererit. Animaduertat, quòd, qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat: Ideò enim liberauit peccatricem; quia non erat qui iuſtè proijceret lapidem. Quomodo lapidaret, qui ſe lapidandum cognoſceret? nullus enim erat ſine peccato. In quo intelligitur, omnes crimine fuiſſe reos: nam venialia ſemper remittebantur per cæremonias: ſi quod igitur peccatum in eis erat, criminale erat. Deteriores itaq; in hoc ſunt ſacerdotes, ſe prius non ædificantes, illis, qui Dominum obſeruabant inſidijs. In hoc itaq; patentiſſimum crimen eſt ſacerdotum, & vltra modum deteſtabile, qui non prius ſe iudicant & alios alligant: deberent enim in ſe timere crimen, quod in alijs timuerunt, & deteſtabile ſenſerunt. Illi quidem adeò cæci erant, quòd ſummam ſapientiam ſperabant capere ſuis inſidijs. Quod illis patuit, quod tunc quiſq; vitauit; vitet ſacerdos, qui in hoc errore peior illis Iudæis extiterit. Caueat ſpiritualis iudex, vt ſicut non commiſit crimen nequitiæ; ita non careat munere ſcientiæ. Hæc D. Auguſtinus vbi ſuprà: lege totum, quia pulchrum & verum.

COROLLARIVM SEXTVM.

Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet poſt reconciliationem cum Deo, bonis operibus redimi poſſe, & per laborioſa opera, quæ etiam ſponte ſuſcipiuntur, per partes minui & expiari.

Probatur Corollarium Notabili 3. cap. 5. & Notabili 4. cap. 2.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Quamuis aliena ſatisfactione poteſt pœna temporalis remitti: tamen indignus aliena ſatisfactione pro pœna ſibi debita, non conſequitur veraciter fructum indulgentiæ.

Probatio Corollarij patet Notabili 4. cap. 2. Item probatur Concluſione ſecunda.

COROLLARIVM OCTAVVM. Contra Lutherum.

Quanquam Deus & Eccleſia, fingit laborem in pręcepto Pſalm. 93. tamen omnia poſsibilia ſunt credenti. Marci 9.

Probatur Corollarium Notabili 1. cap. 2.

Item Deutero. 30. & ad Rom. 10.

Item probatur authoritate ſcripturæ Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Item ad Philippenſ. cap. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Item 1. Ioan. 5. *Et mandata eius grauia non ſunt.*

Item probatur teſtimonio D. HIERONYMI, qui in expoſitione fidei Catholicæ dicit ſic: *Anathema ſit, qui dicit Deum aliquid impoſsibile præcepiſſe. Onus præceptorum legalium importabile fuiſſe Iudæis aſſeritur: non quia ſimpliciter obſeruare non poterant; ſed difficillimum fuit vniuerſa ſeruare: ſicq; patres legis dicũtur ea non potuiſſe implere ob difficultatem; non ob abſolutam impoſsibilitatem. Vnde nonnulli eorum ea ſeruaſſe noſcuntur, ſicut de Ioſue ſcriptum eſt: Ioſue 11. Non præterijt Ioſue de vniuerſis mandatis Domini, nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi.*

Similiter ſcriptum eſt de Zacharia & Elizabeth Lucæ 1. *Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.*

Item 3. Regum cap. 14. Deus de Dauid ad Ieroboam dicit: *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ambulauit poſt me in toto corde ſuo.*

Item D. HIERONYMVS ſuper caput 5. Matth. *Multi præcepta Dei imbecillitate*

imbecillitate ſua; non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoßibilia, quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos; cæterùm diligere plus præcepti, quàm natura humana patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtũ non impoßibilia præcipere, ſed perfecta, quæ fecit Dauid in Saul & in Abſolõ: Stephanus quoq; martyr, pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt: & Paulus anathema cupit eſſe pro perſequutoribus ſuis. Hæc autẽ Ieſus fecit, & docuit dicens: Pater, ignoſce illis: quod enim faciunt, neſciũt.

Item D. HIERONYMVS ad Damaſum: *Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoßibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata non à ſingulis poſſe ſeruari.*

D. AVGVSTINVS de ſpiritu & litera: *Lex Dei ciuitas eſt, lex data eſt, vt gratia quæreretur, gratia data eſt vt lex impleretur.*

D. BASILIVS in regula monachorum cap. 82. vbi dicit de dilectione inimicorum, dicit ſic: *Nunquam autem præciperet hoc iuſtus, & clemens Deus, niſi vtique etiam poßibilitatem nobis donaſſet.*

Idem docet S. CHRYSOSTOMVS. Idem docent ſancti Patres.

Vnde SS. Concilium Tridentinum, Seſs. 6. Canone 18. decreuit & pronunciauit ſic: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſeruandum impoßibilia, anathema ſit.*

CONCLVSIO NONA.

QVia actus actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito; idcircò, quantò quis melius ſe præparat & diſponit ad indulgentiam, tantò maiorem acquirit & reportat indulgentiarum gratiam.

Veritas Concluſionis patet Notabili ſeptimo.

Item probatur authoritate ſcripturæ Prouerb. Cap. 16. *Cor hominis diſponit viam ſuam: & Domini eſt dirigere greſſus eius.*

Item probatur Matth. cap. 9. *Videns autem turbas, miſertus eſt eis; quia erant vexati, & iacentes, ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meßis, quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meßis vt mittat operarios in meſſem ſuam.*

Item Mat. 20. *Paterfamilias primo mane conducit operarios in vineam ſuam.* 1. ad Cor. ca. 3. *Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi Spiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed ne nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis. Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio; nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat:*

ego quidem ſum Pauli, alius autem, ego Apollo; nónne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuiq; ſicut Dominus dedit. Itaq; neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat vnum ſunt. Vnuſquiſq; autem propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem. Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Subditi ergo eſtote Deo: reſiſtite autem Diabolo, & fugiet à vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores: & purificate corda duplices animo. Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conſpectu domini, & exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum fratres mei: qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum; detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicat legem, non eſt factor legis, ſed iudex: vnus enim legiſlator, & iudex, qui poteſt perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum? Iacob. cap. 4.

In Summa: Quia Deus cor contritum, & humiliatum non deſpicit; idcircò, tàm actiui, quàm paſsiui, in timore Dei, ad pœnitentiam, ad indulgentias, ad orationem, & ad Sacramenta, non niſi contrito corde, & in Spiritu humilitatis accedant: quia Dominus Iſa. cap. 66. dicit: *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos?*

COROLLARIVM PRIMVM.

Syncerum eſt, niſi vas quodcunq; infundis, aceſcit. Horatius lib. 1. Epiſtola 2. ad Lollium.

Probatur Corollarium Notabili Septimo: cap. 1. 2. 3.

Item probatur authoritate ſcripturę Mat. 9. *Neq; mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinũ effunditur, et vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.* Item probatur 1. ad Theſſal. cap. 4.

Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione; vt ſciat vnuſquiſq; veſtrum vas ſuum poſsidere in ſanctificatione, & honore: non in paſsione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum. Et ne quis ſupergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immundiciam, ſed in ſanctificationem. Itaq; qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſanctum in nobis. Propterea Dauid Pſal. 68. orat: *Eripe me de luto, vt non infigar: libera me, ab ijs qui oderunt me, & de profundis aquæ. Non me demergat tempeſtas aquæ, neq; abſorbeat me profundum, neq; vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me Domine,*

quoniam

quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, reſpice me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor: velociter exaudi me, &c.

COROLLARIVM SECVNDVM,
Contra Lutherum & hæreticos.

Non modò ceſſatio à peccatis, & eorum deteſtatio, cor contritum & humiliatum, fides, ſpes, charitas; verùm etiam timor Dei, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia, patientia, confeſsio, abſolutio, ſatisfactio, oratio, ieiunium, Eleemoſyna, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, vtiliter præparant & diſponunt hominem ad indulgentiam, & fideliter præſeruant à futuris peccatis.

Corollarium probatur Notabili ſeptimo. cap. 1. 2. 3.

Item probatur authoritate ſacroſancti Concilij Tridentini ſeſsione ſexta cap. 14. titulo de lapſis, & eorum reparatione.

COROLLARIVM TERTIVM,

Pars eſt ſatisfactionis, charitas erga Deum, & proximum: ſignum autem charitatis erga proximum, *Si tu diſſoluas colligationes impietatis, ſoluas faſciculos deprimentes, & vbi iniqua eſt cautio, vbi iniqua chyrographa, vbi opprimuntur pauperes calumnia; ibi faſciculi cautionum, & omnia iniquitatis vincula ſunt rumpenda: quia facere miſericordiam & iudicium, magis placet Deo, quàm victimæ* Prouerb. 21.

Probatio Corollarij patet Notabili ſeptimo. cap. Quarto.

CORALLARIVM QVARTVM.

Qui quærit & petit indulgentiam in Eccleſia, ſi quod habet odium erga proximum, abijciat: abijciat iram, vindictam, malitiam, & eat priùs reconcilietur proximo ſuo; & tunc veniens quærat, pulſet, & petat in Eccleſia indulgentiam: quia ſcriptum eſt Eccleſiaſt: 28. Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram; & à Deo quærit medelam. In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam; & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit pro delictis illius? memento nouiſsimorum & deſine inimicari.

Corollarij probatio patet Notabili ſeptimo. cap. 3. & 4. &c.

COROLLARIVM QVINTVM.

Extra Eccleſiam Catholicam, nulla pœnitentia, nullus iubileus,

 nulla

nulla indulgentia, nulla peccatorum remiſsio, nulla ſalus. Corollarium probatur Notabili. 4. cap. 5. &c.

Item probatur teſtimonio D. Auguſtini. Beatus Auguſtinus in lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 11. & 12. dicit ſic: *Laboret itaq; pœnitens in Eccleſia eſſe, & ad Eccleſiæ vnitatem tendere. Niſi enim Eccleſiæ vnitas ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori ſua opitulatione compleat; de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum eſt enim, & pietas fidei expoſtulat credere, quòd omnes Eleemoſynæ totius Eccleſiæ; & orationes, & opera iuſtitiæ, & miſericordiæ ſuccurrant recognoſcenti mortem ſuam, ad conuerſionem ſuam. Ideòq; nemo dignè pœnitere poteſt, quem non ſuſtineat vnitas Eccleſiæ. Ideoq; non petat ſacerdotes per aliquam culpam ab vnitate Eccleſiæ diuiſos. Iudas enim pœnitens iuit ad Phariſæos, reliquit Apoſtolos: nihil inuenit auxilij; ſed augmentum deſperationis. Dixerunt enim* Matth. 27. *Quid ad nos, tu videris. Si peccaſti, tibi ſit, non tibi ſuccurrimus: non peccata tua charitate ſuſcipimus: non comportanda promittimus: non qualiter deponas onus docemus. quid enim nobis & miſericordiæ, qui nec opera ſequimur iuſtitiæ? Si iſſet ad fratres: ſi iſſet ad illos, qui orauerunt pro ſocru Petri febricitante, qui Chananæam improbam miſericordiæ obtulerunt: interrogaſſet Petrum pro ſe lachrymas effundentem: non fugiſſet Mariam & Martham, quæ vitam Lazaro impetrauerant: non turbam plorantem, quæ vnicum filium acquiſierat viduæ. Iuit ad diuiſos: & diuiſus perijt. Hanc vnitatem omnis boni ſentit operatricem, qui dixit, Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos. Niſi enim in Eccleſia vniuerſali populos ſe continentes cognoſceret; ſe vineam impetraturum non præſumeret. Sic enim & experimento cognoſcit; vtpote, qui pro omnium ſalute laborauerat, ſe abſq; auxilio Eccleſiæ ſtare non poſſe. Non enim eſt parum, cui omne bonum ſuccurrit, ſiue in cœlo ſiue in terris conſtitutum. Hoc amittens per excommunicationem, niſi recuperet per ſanctæ matris vnitatem vel pietatem,* & indulgentiam; *quomodo vnquam poterit pœnitere? quomodo Deum beneuolum poterit inuenire, qui eius ſanctiſsimam ſponſam, & matrem, filiam, & ſororem non dubitauit offendere, & eius auxilium omninò contemnere?* Hæc D. Auguſtinus.

COROLLARIVM SEXTVM.

Tentant Chriſtum, qui ſub indulgentia, non indulgentia, ſed plagis & carcere digna committunt.

Corollarium probatur Notabili tertio, capite quarto.

Item probatur authoritate ſacræ ſcripturæ, Iſaiæ cap. 26. vbi Propheta dolet & deflet, ſtultitiam, malitiam, & ingratitudinem iſtorum peruerſorum, & ſcandaloſorum, ſic dicens: *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti, numquid glorificatus es? Elongaſti omnes terminos terræ*

Domine

Domine, in anguſtia requiſierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Propterea Mediator, redemptor,& ſaluator noſter Chriſtus Dominus, Matth. cap. 7. dicit: *Nolite dare ſanctum canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Vnde Apoſtolus 1. ad Corin. cap. 10. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam tentauerunt, & à ſerpentibus perierũt. Neq; murmurueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

Item, probatur Ratione tali.

Nulli dementes ſcandaloſi & ingrati ſunt indulgentia digni. ſed omnes abutentes gratia indulgentiarum, ſunt dementes, ſcandaloſi,& ingrati: ergo nulli dementes,ſcandaloſi,& ingrati, ſunt indulgentia digni.

MAIOR vera ex Euangelica Parabola, Luc. cap. 14.

MINOR eſt D. Gregorij Magni, lib. 8. Epiſtolarum ex Regeſtro, cap. 41. vbi dicit ſic: *Nam in flagellis poſitos, flagellis digna committere, contra ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire, & ſæuientis arctius iracundiam irritare: Atq; eſt primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis ſuis iuſtè quieſcere, & Deum iniuſtè à ſua velle vltione ceſſare.*

Idem libro 11. Epiſtolarum ex Regeſtro, cap. 2. *Percuſſus quisq; antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Penſate ergo, qualis ad conſpectum diſtricti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit.*

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Ad euitanda ſcandala,vt non vituperetur miniſterium Eccleſiæ,Sacroſanctum Concilium Tridentinum, omnes & ſingulos abuſus circa indulgentias, vt ſunt praui quæſtus, ſuperſtitiones, ignorantiæ, & irreuerentiæ, ſub anathemate prohibet, abrogat, tollit & damnat.

Probatio Corollarij Notabili Tertio, cap. quinto.

Item, probatur authoritate Sacroſancti Concilij Tridentini, Seſsione 25. Decreto de indulgentiis.

COROLLARIVM OCTAVVM.

Fidelem & prudentem Chriſtianum abuſus non poſſunt, nec debent ſcandalizare: quoniam pax multa diligentibus legem Dei,& Eccleſiæ indulgentias, & non eſt illis ſcandalum, Pſalm. 118.

Probatio Corollarij patet Notabili ſeptimo, cap. primo.

Item patet ex Concluſione Prima, &c.

COROLLARIVM NONVM.

Sacroſanctum Concilium Tridentinum generali decreto decreuit, ordinauit, & mandauit; vt Lociordinarii, omnes & ſingulos abuſus, circa indulgentias deferant: & vt Sancta ſedes Apoſtolica, eoſdem abuſus corrigat & emendet; ne hoc inſigne & ſanctum nomen indulgentiarum ab hæreticis blaſphemetur.

Probatur Corollarium Notabili Tertio, cap. quinto.

Item probatur authoritate SS. Concilij Tridentini, Seſs. 25. Decreto de Indulgentijs.

COROLLARIVM DECIMVM.

Hæretici, qui indulgentias negant, blaſphemant, & oppugnant, toto cælo errant neſcientes ſcripturas: de fide ſine fide diſputant: cœci ſunt & duces cœcorum: qui non ſolùm alijs, & ſibi iniuriam faciunt; ſed etiam ore ſuo ſe indulgentia, gratia, & auxilio Dei indignos, & pœna dignos iudicant, & condemnant: homines alioqui miſeri & infirmi cùm ſint, tamen cum ſuperbis Phariſæis, Scribis, Nouatianis, & Pelagianis, medicum cum medicina, tanquam inſani contemnunt, ſpernunt, & conculcant: inimici crucis Chriſti, principia religionis contra conſcientiam, contra ſenſum & conſenſum, omnium fidelium impudentiſsimè negant: tenebras pro luce, lutum & ſordes pro fonte & lauacro, maledictionem pro benedictione, carcerem pro luce publica, ſtultiſsimè & iniquiſsimè peruerſi eligunt: neſciunt, de quibus affirment vel negent: & ideò metas contradictionis ipſi manifeſtè incurrunt, & iam rei contradictionis publicè tenentur: quia remiſsionem peccatorum ponunt, & indulgentias negant. Væ illis, qui in contradictione Choræ perierunt. Ergo iuſtè à Synodo Tridentina anathematizantur.

Probatio Corollarij patet in ventilatione Quæſtionis in Notabilibus & concluſionibus.

Item probatur multiplici ſcripturæ authoritate Matth. 22. Erratis neſcientes ſcripturas, atq; virtutem Dei.

Item Matth. 15. Sinite illos, cœci ſunt, & duces cœcorum: cœcus autem ſi cœco ducatum prȩſtet, ambo in foueā cadunt. Item ad Phil. 3.

Item Pſal. 7. *Ecce parturit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet, &c.*

Item Pſal. 72. *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabun-*

gellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra, &c.

Item, Pſal. 108. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius. Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur, &c.*

Item, 2. ad Thimoth. cap. 3. *Hoc autem ſcito, quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cœci, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciē quidem pietatis, virtutem autē eius abnegantes, & hos deuita. Ex ijs enim ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs: ſemper diſcentes, et nūquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi; ita et hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed vltrà non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut et illorum fuit. etc. Et paulò poſt. Mali aūt homines & ſeductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes etc.*

COROLLARIVM VNDECIMVM.

Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: Et qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc. Apoc. 22. Probatur Corollarium Notabili Tertio cap. 4.

Item ex ſuprà dictis patet, & eſt per ſe notum, &c.

COROLLARIVM DVODECIMVM.

Infinitus & indiuiſus eſt theſaurus indulgentiarum, quo, qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, Sapient. cap. 7.

Corollarij probatio patet Notabili 5. cap. 1. &c.

COROLLARIVM TREDECIMVM.

Nemo vnquam Catholicus pro indulgentia & remiſsione peccatorum (magis quàm gentiles pro aris & focis, pro Repub. & libertate) mortem oppetere dubitauit.

Corollarij probatio patet Notabili Sexto cap. 2. &c.

Item probatur authoritate ſcripturæ 2. Machab. cap. 6. & 7. Item Matth cap. 16. Lucæ 9. *Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam fa-*

cere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. &c.

COROLLARIVM QVATVORDECIMVM.

Quæſtio cum ſuis Concluſionibus & Corollarijs, ad intentionem, & Canonem ſacræ ſcripturæ, iuxta definitionem ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ, Romanæ, ſecundùm ſenſum & conſenſum ſanctorum Patrum, eſt vera, & non niſi Catholicè defendenda.

Veritas Concluſionis ex ſupra dictis Corollarijs, Concluſionibus, & Notabilibus patet. Ad authoritates verò, quas allegant hæretici, tum ad argumenta Hæreticorum, iam ſuprà reſponſum eſt, ſimulq; poſita, & demonſtrata ſunt Decreta ſanctorum Conciliorum, &c.

Finem loquendi pariter omnes audiamus:

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM,
EX HOC NVNC ET VSQ. IN SECVLVM.
Pſal. 112.

NON NOBIS DOMINE NON NOBIS, SED NOMINI TVO DA GLORIAM. Pſal. 113.

Index eorum, quæ hoc libro tractantur.

A.

Abbas non poteſt dare indulgentias. fol. 84

B.

Bona malis, & mala bonis plerumq; in vita eueniunt. 179.

C.

Canones pœnitentiales arbitrarij. 30.
Carena quid. ibidem
Charitas quid? qualis, & quæ illius operatio. 110.
Chriſtianum decet diſtrictioris eſſe diſciplinæ. 32.
Clemens Papa I. conſtituit quadragenam. 30.

D.

Deſperandum non eſt. 88. 108. 142.
Dies mortis quamobrem incertus. 16.
Diſpenſator quis fidelis. 204.

E.

Eccleſia habet Hyerarchiam. 197.
Eleemoſyna danda. 134.
Æquiualentis æquiualentia aliquorum adinuicem, multipliciter dicitur. 13.
Epicuræi à ſocietate hominum excluduntur, quia ſua tantum quærunt, & priuata curant. 28.
Euangelium cum lege in quo conuenit, & in quo differt. 123.

F.

Fides antiquorum cum noſtra eadem eſt. 157.
Fides quæ non habet charitatem, & bona opera, dæmonum eſt. 131.
Fides ad indulgentiam neceſſaria. 107.
Figuræ & Prophetiæ ponuntur de authoritate & iuriſdictione ſummi pontificijs. 47.

G.

Gregorij Magni precatio. 52.

H.

Harmonia veteris & nouæ Legis. 121.
Hæreticus quis habendus. 39.
Hæretici ad ſuam Hæreſim ſcripturis abutuntur. 11.
Homo non reſurgit ſine Dei gratia. 202.
Homines non ſunt deſpiciendi, auertentes ſe à peccatis. 145.

I.

Impius conuerſus obſeruatis conditionibus iuſtificatur. 201.
Ieiunium quid requirit. 136.
Indulgentiæ nomina. 28.
Indulgere quid ſit. ibidem,
Indulgentiæ vocabulum multiplex. 31.
Indulgentia quid? 34. 35. 36.
Indulgentia duplex. 36.
Indulgentiæ hominem ex faucibus Diaboli liberant. 14.
Indulgentiæ probantur traditione Sanctorum Patrum, 38. *Authoritate ſcripturæ Veteris teſtamenti,* 40. *Noui teſtamenti,* 48. *Teſtimoniis S. Patrum,* 52. *Canonibus & Decretis Sacrorum Conciliorum.* 56. *Exemplis Noui teſtamẽti.* 51. *Rationibus.* 21.
Indulgentiæ ex Synagoga ad Eccleſiam trãſlatæ, probantur. 116.
Indulgentiarum aduerſarius Lutherus. 37.
Indulgentiarum cauſæ. 68.
Indulgentiarum conceſſiones quando cœptæ. 147.
Indulgentias conditionaliter promiſit Deus. 40. 55.
Indulgentiæ non definiuntur eſſentiali definitione. 34.
Indulgentiarum dies dicuntur, dies ſalutis, dies propitiationis. 29.
Indulgentiarum diſpenſatores non ſint ſeueri. 203.
Indulgentiarum efficiens cauſa. 81.
Indulgentiarum forma. 78.
Indulgentiarum finis. 85.
Indulgentiarum tempus. 92.
Indulgentiæ theſaurus cæleſtis. 34.
Indulgentiarum infinitus theſaurus. 86.

Indul-

Indulgentiarum locus. 88.
Indulgentiarum materia. 68.
Infinitum Theologicum indiuiſibile. 198.
Iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit. 181.

L.

Lex vetus an tota ſublata. 119.
Lutheri Apoſtaſiæ cauſa, & quare contra indulgentias inſurrexerit. 37.
Lutheranorum contra Indulgentias argumenta, & eorum ſolutiones. 12.

M.

Mediator vnus eſt Dei & hominum. 198.
Merita Chriſti quomodo infinita. 86.
Merita Sanctorum & Chriſti theſauriſant in Eccleſia Theſaurum indulgentiarum. 164. & ſeq.
Merita Sanctorum duplici virtute prædita ſunt. 171.
Miſerantis opus totiens apparet, quotiens confeſſio fit pœnitentis. 131.
Modus celebrandi indulgentias. 113.
Moyſes cur Ægyptiacas opes ſpreuerit. 156.
Mundus eſt pœnitentiæ locus. 113

O.

Oblationes debent fieri in Eccleſia ſub indulgentia. 10.
Offertoria & oblationes ſacra ſcriptura probantur. 105.
Onus alter alterius poteſt portare triplici modo. 137.
Operatio Dei non vbiq; æqualis. 88.
Orandum pro proximis. 133.
Orant conuerſi pro indulgentia. 43
Originale peccatum remittitur per Baptiſmum vnà cum pœna damni. 35.

P.

Papa habet poteſtatem concedendi Indulgentias. 188.
Papæ priuilegia & autoritates ſuper iuriſdictione ex nouo Teſtamento ponuntur. 60.
Parochus non habet poteſtatem concedendi indulgentias. 191.
Peccati grauitas. 49.
Peccatorum remiſſiones quantæ ſint in Euangelio. 32.
Peccata actualia, pœnitentia curantur. 47.
Peccatum vbi maius, ibi maior gratia. 207.
Peccatorum remiſſionem, potius quàm aurum, aut lapides precioſos, poſtulat à Deo D. Gregorius Magnus. 52.
Pœnæ temporalis auertendæ ordinatæ ſunt in Eccleſia indulgentiæ. 70.
Pœnarum genus duplex. 17.
Pœna temporalis manet luenda, culpa obliterata. 69.
Pœnalitates filius Dei propter nos aſſumpſit. 174.
Pœnitendum de omnibus peccatis. 143.
Pœnitentia non eſt excluſa poſt Baptiſmum. 20.
Peregrinationes non inanes. fol. 100. *Teſtimonijs probantur. fol.* 101. *earum vtilitates.* 103. *quo animo ſuſcipiendæ: & quibus conuenit peregrinari.* 104.
Præceptum eſt quadruplex. 185.
Præcepta Dei non ſunt impoſſibilia. 216.
Proceſſus operis tria habet. 203.
Prophetæ verba (ſolue faſciculos deprimentes) explicantur. 112.
Prophetiæ ponuntur ſuper futuris Indulgentijs in Noua lege. 46.
Proximus noſter quis. 111.
Proximus an pro peccatis proximi poſſit & debeat ſatiſfacere. 132.
Proximus noſtros ſeptem modis in purgatorio iuuare poſſumus. 135.
Purgatorij ignis grauis. 214.
Purgatorij pœna acerbiſſima. ibid.

Q.

Quadragenæ quis autor. 30.
Quadraginta horarum indulgentiæ. 60. 94.
Quarta & ſextæ feriæ ieiunium antiquum. 58.
Quid eſt facere, quod in ſe eſt? 30.

S.

Sacramenti duplex effectus. 201.
Sacerdos non eſt immunis à peccato. 215.

Sancti

Sancti non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro nobis paſſi. 163.
Sacrificia Miſſæ pro viuis & mortuis peragenda. 135.
Satiſfactio noſtra innititur ſatiſfactioni Chriſti. 14.
Synagogam Eccleſia vincit. 49.
Spes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa non eſt. 159.
Serpentem cauet, qui eius verſutias non ignorat. 53.
Statuta maiorum pro lege tenenda. 39.

T.

Temporalia danda ſunt, vt habeantur ſpiritualia. 204.
Temporalibus ſubeſſe, durum eſt ſeruitutis pondus. 50.
Teſtamentorum vtrumque in vtroque eſt. 121.
Theſaurus cœleſtis, ſunt indulgentiæ. 34.
Theſaurus indulgentiarum eſt infinitus. 86.
Timor Dei diſponit ad indulgentiam. 112.
Traditiones ſanctorum patrum ſeruandæ. 38.
Traditio, & ſcriptura, eandem vim & autoritatem habent. 40.
Triſtitia non debet eſſe nimia. 53.

V.

Vacuum vbi. 91.
Valor indulgentiarum. 78.
Vetus lex habuit indulgentias. 151.
Votum quid? 95.
Vota perſoluenda. ibid.
Vota ſanctis nuncupare licet. 96.
Vota quando ſunt vota, & quando non. 97.
Vota fiunt Deo in ſanctis. 98.
Vniuerſale eſt cauſa ſuorum ſingularium. 38.

Corrigenda.

Fundatur, lege *funditur, fol.* 4.
Pœnitentia, lege *patientia, fol.* 5.
Tentat, lege *tentant, fol.* 9.
Conſequendas, lege *conſequendis, fol.* 27.
Arbitrij, lege *arbitrarij, fol.* 3.
In principio, lege *principiò, fol.* 31.
Vriam, lege *Naboth. fol.* 54.
Conſilio, lege *Concilium, fol.* 56.
Myſterium, lege *miniſterium, fol.* 84.
Indiſcreto, lege *indiſcrete, fol.* 78.
De tertia Concluſione, lege
De quarta Concluſione, fol. 147. *&c.*

FINIS.

M. VALENTINI LAVRENTII VIDAVIENSIS PRO SCHOLASTICA THEOLOGIA

Oratio.

MAgna prudentia, iuſtitia, & nobilitas eſt, Auditores Nobiliſsimi, bonorum, honeſtorum, & nobilium maiorum, bonos, honeſtos, nobiles, & pios mores imitari: & à nobilitate, iuſtitia, & pietate Catholicorum parentum nõ degenerare. Magna virtus eſt, res, & artes ad vitam neceſſarias, bonis, & honeſtis rationibus, & modis via ordinaria cum labore quærere: ſed non minor eſt prudentia, ars, & fortitudo, hæreditatem quam à maioribus acceperis, fideliter cuſtodire, defendere, augere, & ornare, iuxta vetus prouerbium: Spartam, quam nactus es, orna. Propterea ſcripſit Ennius, vt refert Cicero, libro quinto de Republica:

Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.

Poſt Ennium, Ouidius poëta prudenter ad rem præſentem dixit:

Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri:
Caſus ineſt illic: hîc erit artis opus.

Malè audit in ſacra Scriptura 2. Machab. cap. 5. Menelaus quidam, qui legum & patriæ fuit proditor. Sed benè audiunt, quos ſacra Scriptura commendat, 2. Machab. cap. 7. Septem fratres, qui pro patriis, & Dei legibus impio Antiocho Regi ſe oppoſuerunt. Nam vnus ex illis, qui erat primus, ſic ait: Quid quæris? & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori magis, quàm patrias & Dei leges prçuaricari: quod idem re ipſa ſtatim cum ſua immortali laude præſtiterunt, vt ibidem, non minus copioſè, quàm luculenter narrat hiſtoria. Quæ res, cùm in homine fideli ſit mirabilis, tum verò in infideli multò admirabilior. Sic enim Horatius, libro 1. Epiſto. 16. ad Quinctium dicit:

Vir bonus & ſapiens, audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum; quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona: nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas, licèt: in manicis, &

Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deus ſimulatque volam, me ſoluet opinor:
Hoc ſentit moriar: mors vltima linea rerum eſt.

Verùm enimverò, quia teſte Cicerone, libro 1. de officiis, optima hæreditas à parentibus traditur liberis, omniq́ue patrimonio præſtantior gloria virtutis, rerumq́ue geſtarum; cui dedecori eſſe, nefas, & vitium iudicandum eſt: idcirco nos, Auditores Nobiliſsimi, ſi non degeneres, ſed generoſi: ſi non noti & ſuſpecti, ſed legittimi, boni, honeſti, & prudentes filij ſumus: non ſolùm bonos, honeſtos, & nobiles mores maiorum noſtrorum imitari debemus; verùmetiam dum res, & artes neceſſarias ad vitam bonis rationibus, & honeſtis modis quærimus, optimam hæreditatem, famam videlicet, gloriam virtutis, rerumq́ue geſtarum, ſicut à maioribus accepimus, nullis artibus auerti, nullis inſidiis ſurripi, nulla vi nobis eripi, patiamur: tantùm abeſt, vt ſtationem noſtram deſeramus, aut aliqua negligentia, ac ſocordia illa bona turpiter amittimus. Porrò, quia inter alia bona, quæ in Academia morte maiorum relicta habemus, Scholaſticam Theologiam facilè primo loco numeramus & ponimus; obſecro chariſsimi, hanc hæreditatem, hoc depoſitum, hoc inſigne patrimonium teneamus, poſsideamus: hunc diuinum theſaurum tueamur, & defendamus, magna cura, ac perpetua diligentia, & cuſtodia ſeruemus; vt poſteris integrum reddamus. Nam Martinus Cromerus, Epiſcopus Varmień. in Polonia, ſic ſcriptum reliquit: Seueriores autem diſciplinas, ad noſtra vſque tempora potiſsimum conſectati ſunt Poloni. Non defuêre nobis ſanè (ſed ne nunc quidem Dei gratia deſunt) ſuperioribus temporibus, inſignes Mathematici, Aſtrologi, Dialectici, & Philoſophi, atque etiam Theologi: ij præſertim, qui vocantur Scholaſtici: cùm inſtituta Cracouiæ, ante centum ſeptuaginta annos, Academia, magiſtri eius generis, Lutecia, Pragaq́ue acciti, admirationi eſſent vulgo, & primoribus, atque etiam ipſis Regibus. Hæc Cromerus. Et quamùis Scholaſtica Theologia ſit per ſe tam illuſtris, tam pulchra, tam ſplendida; vt amplius pigmentis, & coloribus externis non egeat; vtpote quæ tam ſublimi loco in Eccleſia conſtiterit, vt neque humanis vocibus, & laudibus altius euehi, neq; fraude hoſtium inde detrahi poſsit, præſertim cùm de ea illud Dauidicum Pſal. 44. verè ſit dictum: Mirrha, & gutta, & caſsia, à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate: tamen, quia ſunt nonnulli, qui de re optima, & præſtantiſsima malè ſentiunt; operæpretium eſt, vt hunc ſcrupulum eximamus, & remoueamus: hunc errorem

rorem ex animis hominum euellamus, & bonas opiniones inſeramus: quia iuxta prouerbiũ, Incognitum non amatur: & Ignoti nulla eſt cupido. Dum ergo quorundam ignorantiæ ſuccurrimus, quorundam ſiniſtram opinionem corrigimus, & aliorum manifeſtas hæreſes refutamus; Vos Auditores nobiliſsimi, inprimis oramus, vt nos, cum ea attentione & beneuolentia, qua ſoletis Præceptores, audiatis. Theologia communiter in ſcholis, in Poſitiuam, & Scholaſticam diuiditur. Quibus appellationibus, vnus & idem habitus ſignificatur: prout diuerſo modo verſatur in ſuo munere explicandi, & fidem faciendi, atque confirmandi. Poſitiua enim Theologia dicitur, quatenus occupatur potiſsimùm in explicando ipſo ſacræ Scripturæ ſenſu: ad eúmque eliciendum, tùm aliis adminiculis, tùm præcipuè authoritate ſanctorum Patrum vtitur. quo ipſo, quaſi principia firma aliarum concluſionum Theologicarum ponit. Et ideò Poſitiua videtur dicta: quia ſcilicet ponit, atque ſtatuit, ex ſcriptura principia Theologiæ firma: nam genuina Scripturæ ſacræ ſententia, vel maximè continet ea principia, ex quibus Theologus argumentatur. Scholaſtica verò Theologia vocatur, vt explicat vberius, & confirmat, ac defendit latius, & acuratius fidei, & veræ, ſanæ, Catholicæ doctrinæ ſententiam: & vt diſputat acutius. nam ſubtiliter non minus, quàm diligenter res illas vbique ſpeculatur, & vndique perluſtrat, quæ rem quampiam, vel antecedunt, vel conſequuntur, vel repugnant: vt cùm obſeruat, quæ res vel antecedunt, vel conſequuntur fidem, vel fidei repugnant. Quarum quidem rerum perſpicientia, & notitia, velut clariſsimum quoddam lumen adeò iuuat; vt tenebræ, quas hæretici ſuis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facilimè diſpici, & diſpelli poſsint. Itaq; ob eam cauſam Theologia, vt eum vſum habet, Scholaſtica nuncupatur: quia reuera id præſtat, quod nemo rectè pręſtare poteſt, niſi exquiſitam doctrinam conſecutus fuerit, quam acri ingenio, tempore longo, ſtudio magno, & conſtanti labore in ſcholis Dei gratia cooperante, ſub doctis magiſtris didicerit. Nam & olim ante mille & ducentos annos, in Eccleſia ſancta Catholica, vſitatum fuit; vt qui eruditione, & ingenij laude excellerent, in eis nomẽ Scholaſticorum poneretur. Hinc enim D. Hieronymus, in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, memorat Serapionem quendam in Ægypto Epiſcopum, ob ingenii, inquit, elegantiam, cognomen Scholaſtici meruiſſe, quem & refert ſcripſiſſe librum egregium contra Manichęum. Nec mirum; ſi doctiſsimi quique olim vocabantur Scholaſtici, quandoquidem ſcholarum etiam vſus erat præcipuus, in quibus diuina doctrina, ſacra ſcriptura, à præcipuis Doctoribus acuratè explicaretur:

vt refert D. Hieronymus eodem libro in Pantæno. Quin etiam ex D. Auguſtino in Pſalmum 44. ſub initium: & ex D. Gregorio lib. 10. Regeſtri, Epiſtola ad Authemium intelligi poteſt; vt qui in aliqua doctrina eſſent clari, Scholaſtici nominarentur. In hoc genere excelluit D. Auguſtinus, quem inprimis ſecuti ſunt, qui poſtea Theologicam diſciplinam via ac ratione tradiderunt. Conſtat item ex D. Hieronymo in Cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum in Pantæno, & ex Euſebio lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 10. & 11. à temporibus Sancti Marci Euangeliſtæ, fuiſſe Alexandriæ Scholam Eccleſiaſticam (ita enim Euſebius nominat) cui præfuerunt diuinarum rerum, & Sacræ ſcripturæ Magiſtri & Doctores, Philoſophię etiam peritiſsimi: vt Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alij, ſicut idem Euſebius lib. 6. cap. 3. narrat. Quis autem dubitet, quin hi doctores vſi fuerint in docendo arte, & methodo ſcholaſtica, hoc eſt, diſcipulis commoda, & apta, vt res ipſas benè perciperent? Cumque in ſchola Eccleſiaſtica, vt Euſebius nominat, Theologiam, methodicè, tanquam Philoſophi, & ſacerdotes docuerint; certè Scholaſtici Theologi & re, & nomine fuerunt, idque non ſine Eccleſiæ maxima vtilitate. Porrò, hanc Scholaſticam Theologiam, illos antiquos Patres excoluiſſe, non eſt mirum. Siquidem ipſemet magiſter Chriſtus Dominus, firmiſsimum fundamentum in Euangelio Scholaſticæ Theologiæ poſuit: nam & definit, vt Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Et Ioan. cap. 14. Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem, niſi per me. Item, quæſtiones proponit, vt Matth. 22. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens Pſalm. 109. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare. Non ſolùm autem proponit, ſed etiam propoſitas quæſtiones decidit, & ſoluit. Item, idem ipſe magiſter Chriſtus Dominus, argumentatur, vt Marci 12. Luc. 11. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit: Omne regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur: & domus ſupra domum cadet. Si autem & Sathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis, in Beelzebub eiicere me dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? ideò ipſi iudices veſtri erunt. Porrò, ſi in digito Dei eiicio dæmonia,

profectò peruenit in vos regnum Dei. Talia argumenta Chriſti, magiſtri noſtri, plura ibidem poſita leguntur. Item, Ioan. 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Et alia multa ſimilia argumenta, magiſtri Chriſti Domini paſsim leguntur in Euangelio. Item, idem ipſe magiſter Chriſtus, quæſtiones & argumenta, tùm alijs modis, tùm præcipuè per diuiſionem ſoluit, vt Matth. 22. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo: &c. Præterea, exemplo magiſtri Chriſti Domini, diſcipulus beatus Paulus Apoſtolus, ad Heb. cap. 11. fidē definit: Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Item, idem diuidit, vt ad Roma. cap. 2. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neq; quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Item, ad Roma. cap. 11. vbi etiam de Iudæis dicit, tunc diuidit ſic: Secundùm Euangelium quidem inimici propter vos: ſecundùm electionem autem chariſsimi propter Patres: ſine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. Similiter, 1. ad Corinth. cap. 6. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Idem repetit, 1. ad Corinth. 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Idem Apoſtolus quæſtiones proponit, vt ad Galath. cap. 3. Hoc ſolùm à vobis volo diſcere, ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? &c. Non ſolùm autem quæſtiones ipſemet Apoſtolus ſcholaſticus, vt fit in Theologia Scholaſtica proponit; verùmetiam, quæ, & quales quæſtiones proponendæ, & quales vitandæ, & reiiciendę ſunt, ſuos Scholaſticos in Theologia docet. Nam 2. ad Timoth. cap. 2. ſcribit ſic: Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones deuita: ſciens quia generant lites. Similiter admonet Titum, ad Titum cap. 3. dicens: Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita; ſunt enim inutiles, & vanæ. Similiter, linguam, ſtilum, genus dicendi & phraſim ſcholaſticam Beatus Apoſtolus ſcholaſticorum ſuorum erudit & informat, 2. ad Timoth. cap. 2. cùm dicit: Profana autem, & inaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem. Item, ibidem: Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Solicitè autem cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis, &c. Item, idem Apoſtolus contra Saducæos argumentatur, vt 1. ad Corinth. cap. 15. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio

noſtra: inanis eſt fides noſtra, &c. Idem quomodo argumenta ſoluit, ex ſuprâdictis patet. Summum magiſtrum Chriſtum,& doctorem Paulum ſequuntur ſancti patres: nam & ipſi,vt fidē aſſererent,magna ex parte iiſdem modis diſſerendi, quibus nunc ſcholaſtici, quandoq; vtebantur. Proponebant enim & explicabant quæſtiones, vt Auguſtinus,& Athanaſius,& Theodoretus,& alij: vtebantur interdum compendiis, vt Cyprianus, Epiphanius Maximus, &c. definiebant, diuidebant, & argumentabantur; vt paſsim omnes: & contra falſas Philoſophorum opiniones, ex principiis etiam verę Philoſophiæ diſſerebant; vt Iuſtinus, Tertullianus, Lactantius, Athanaſius, & alij, qui ſcripſerunt ex inſtituto pro religione Chriſtiana, contra gentes. quibus adde Ambroſium in Hexamero, Baſilium, Chryſoſtomum, & alios qui in Geneſim ſcripſerunt. Quos ſecutus eſt S. Thomas de Aquino, & omnium ſcholaſticorum facilè princeps: cuius ſcripta, & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi,res difficiles adeò excellunt; vt ob eam cauſam, nomen doctoris angelici iure ſit adeptus. Qui proponendis, ordinandis, ac inter ſe more Geometrico connectendis, ventilandis, diſcutiendis, & ſoluendis quæſtionibus eſt feliciſsimus, ita, vt ſtudioſi verè dicere poſsint. Ille ſe in ſacra Theologia profeciſſe ſciat, cui Diuus Thomas Aquinas valde placeat. Quamobrem Caſsiodorus author doctiſsimus, qui ante mille annos floruit, libro de Inſtitutione diuinarum lectionum diſertè,& luculenter commendat modum diſputandi, quo iam vtuntur Scholaſtici. Eos,inquit, Catholicos, magiſtros ſtudioſiſsimè legamus, qui propoſitionibus factis,ſoluunt obſcuras quæſtiones.Nam certè Scholaſtici vniuſcuiuſq; rei, quantum fieri poteſt, principia contemplantur, cauſas conſiderant, antecedentia, conſequentia, & repugnantia cominus & eminus ſpeculantur: ita fit, vt non ſolùm ipſimet inſidias, & pericula,quę hoſtes moliuntur, & maligni machinantur, effugiant; verùmetiam ſuos amicos & ſocios, conſeruent, defendant, ac tueantur. Item, Clemens Alexandrinus, lib. 1. & 5. Stromatum,inter cætera ſcribit ſic: Meritò Apoſtolus variam ac multiplicem dixit Dei Sapientiam, ad Hebr. cap. 1. vt quæ multifariam multiſque modis per artem, per ſcientiam, per fidem, per prophetiam ſuam oſtendat potentiam ad noſtrum beneficium. Et libro 5. Eam, inquit,quæ vna cum fide conuenit quæſtionem, quæ ſupra fundamentum fidei ſuperædificat, ſplendidam, ac magnificam veritatis cognitionem, optimam eſſe ſcimus. Contrà, omnes huius temporis ſectarij, pertinaciſsimè negant ſcholaſticam Theologiam vtilem eſſe, vel quia vim eius non intelligunt, vel quia ſuis erroribus vehementer illam aduerſari vident: idcircò

eam multis maledictis, conuitiis, & contumeliis onerant & inſectantur. Martinus Lutherus, in libro contra Latomum ait: Theologiam Scholaſticam, nihil aliud eſſe, quàm ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam. Et libro de abroganda Miſſa priuata, Academias, vbi ea docetur (docetur autem in Academiis omnibus Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Germanorum, Polonorum, &c. inſuper in ſcholis Græcorum, vbi Latinus Thomas, vt fertur, tranſlatus in linguam Græcam, legitur) vocat Antichriſti lupanaria: imitatus videlicet impudentiā Wiclefi, qui Collegia, & Vniuerſitates appellabat, Caſtra Cainitica: & gradus in ſcholaſtica Theologia, dicebat introductos eſſe gentiliter; vt videre eſt apud Valdenſem, Tom. 1. lib. 2. doctrinæ fidei, cap. 67. & ſequentibus. Item, Philippus Melanchton in Apologia, contra Parrhiſien. profanam vocat Theologiam ſcholaſticam, eamq; dicit Parrhiſiis natam, & obſcurauiſſe Euangelium, & fidem extinxiſſe. Caluinus item, lib. 3. Inſtitut. cap. 2. Sect. 2. de fide tractans, ait, Scholaſticos Theologos, velut obducto velo, Chriſtum texiſſe, & plurima mala illi accepta ferri debere. Deniq; paſsim alij quoque ſectarij, ſcholaſticam Theologiā vocant errorum, & abominationum ſentinam, & lernam: ſcilicet, ſi errores, & abominationes ſunt: veritates illæ doctrinæ orthodoxæ, quas Scholaſtici non minus egregiè tuentur, quàm ſectarij perfidè negant, & doloſè oppugnant. Et in iſtis impletur illud ſapientis, Prouerb. cap. 17. Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum. Adde, quia etiam Eraſmus Rotherodamus in præfatione, in Diuum Hilarium, repræhendit diſputandi modum ſcholaſticorum, tanquam nimis curioſum & ſuperuacuum. Verùmenimverò, præter iſtos, quos enumerauimus hæreticos, multos etiam inter Catholicos hoc tempore reperias, & videas, qui ſcholaſticamTheologiam, quam ignorant, inutilem exiſtimant: tùm quia difficilima quæque mira breuitate, ſubtiliter explicat, & reſoluit: tùm quia prudenter, & iuſtè, & verè pretioſum à vili, & verum à falſo ſeparat: tum quia hæreticos erroris, blaſphemiæ, & impietatis fortiter & ſeuerè conuincit. Volunt iſti, contra antiquam, diuinam ſcholaſticam Theologiam, nouam ſuam humanam & aulicam, introducere Theologiam. Sed iſtis valdè timendum eſt, ne fidem Catholicam prius amittant, quàm iſtam aulicām Theologiam, quam fruſtra moliuntur, in lucem producant & proferant, & in Iudaicam Theologiam prolabantur. Cum iſtis ergo, & iſtorum ſimilibus, erat Doctoribus Catholicis cominus congrediendum: punctim erant pugionibus confodiendi: breuiſsimis, atque aculeatis argumentis in anguſtias redigendi, vnde non poſſent elabi: erat definiendum,

endum, diuidendum, argumentandum, tota iſtorum intricata Soritarum ſeries euoluenda. Quid enim aliud ageres cum Berengario, acutiſsimo ſui temporis Dialectico? Quid cum Petrobruſianis, Albigenſibus, Wiclefitis, Stancaris, qui totam ætatem in ſyllogiſmis nendis & texendis contriuerant? Quamobrem magna prouidentia Dei Opt. Max. factum & perfectum eſt, vt quamprimùm hæc monſtra ex inferis eruperunt, ſtatim quoque apud nos extiterint, Algerij, Alexandri, Lanfraci, Lombardi, Bandini, Aquinates, Scoti, Eckij, Sadkouij, Nouicampiani, Pilznenſes, Obremſcij, & alij Theologi ſcholaſtici acutiſsimi, præſtantiſsimi, qui arte artem noſſent eludere, & cum argutis illis, argutiis inſtructi, poſſent & ſcirent, exẽplo Moyſis (cuius ſerpens, magorum Pharaonis ſerpentes deuorauit) congredi. Et quia nihil vnquam eſt Sophiſta pertinacius, qui ſexcenties turpiter victus, volens tamen ſe victum non videri, pugnam quoque redintegrat, in qua adhuc grauius, & turpius proſternatur, arma Catholicis viris erant ſemper in promptu habenda, ad iſtos peruicaces, peruerſos ſubuerſores aſsiduè profligandos. Magno igitur cõſilio, magna inquam bonitate, & ſapientia Dei omnipotentis, in maximum Eccleſiæ Catholicæ cõmodum factum eſt; vt ars quędã inciperet ſcribi Theologica, quàm Scholaſticam appellârunt: per quam cæleſtis hæc doctrina, magna poſtea cum breuitate, facilitate, ſed & ſufficienter ac feliciter incepta eſt publicè doceri, & diſci. Ea noſtri deinde tanquam firmiſsimo aliquo præſidio, & fortalicio, contra hæreticorum inſultus aſsiduè ſe munierunt, & ſubſidia ſibi comparârunt, ad caſtra hoſtium inuadenda, & diſturbanda. Calumnientur eam licèt Catholicæ religionis oppugnatores, veritatis aduerſarij; parum noſtra refert, imò id eſt argumento, eam fortiſsimam, velut fidei arcem eſſe, ad quam tot machinis expugnandam, vniuerſæ hæreticorum cateruæ confluxerunt. Sed nihil propterea proficiunt in hoc, furibundos canes imitantes, qui lapides, quibus ſe malè percuſſos ſentiunt, maximo etiam cum ſuorum dentium detrimento mordent, nihil tamen elidentes: & reuera, nulla alia ratione melius huiuſmodi canum dentes obteruntur, hoc eſt, eorum effrenata audacia retunditur, quàm Scholaſticis diſputationibus, his in anguſtias coguntur, vnde euadere nequeant. Cùm ad ſcholaſtica certamina prouocantur, quòad licet refugiunt, cùm eò deueniunt, & in hanc metam adducuntur; vt detrectare non amplius poſsint: tunc videas eos, toto corpore, atque artubus contremiſcere, vbi manus conſerendæ vix argumento vno propoſito, hærent, conticeſcunt, & ne hiſcere quidem audent, homines alioqui audaciſsimi, & loquaciores, quàm diſertiores, qui habent loquentiæ multum, &

ſapientiæ parum, imò nihil. Cùm primum victi ex certamine diſceſſerint; tunc repentè ex Scriphia rana facti vocaliſsimi, contra ſcholaſticam Theologiam, & contra Theologos, vt indoctos, inſulſos, atque adeò infantes clamitant, vociferantur, debacchantur: interim à manuum cum illis conſertione, quàm longiſsime refugiunt, atque in eo maximè ſapiunt, non ſecus ac ſemel icti piſcatores. Sed tamen libenter interim ex eis ſcirem, quid ſit, cur eam ſcientiam tanto hominum conſenſu, iam diu in omnibus Catholicorum ſcholis, ſuſceptam & approbatam, tam methodicam, tam ordinatam, tam vniuerſæ Eccleſiæ vtilem, tam neceſſariam, ipſi nunc primùm calumnientur? extinctam velint? An fortè, vt ſeptis his, atque cuſtodibus, cum ſua armatura ab Eccleſia remotis, liberius poſtea in Chriſti ouile graſſari poſsint? Atqui, propterea mater Eccleſia Catholica eam retinebit: & in dies magis ac magis Domino cooperante, augebit, excolet, & illuſtrabit: vtpotè, cui ſecundùm Deum, ſui tutelam, ſecuritatem, atque adeò incolumitatem debeat. Nos iam chariſsimi Theologiæ Scholaſticæ, pro virili exemplo ſanctorum Patrum, & in hac alma vniuerſitate Cracouieñ. profeſſorum, promouendæ, quæ tantum operæpretium in commune adfert, Deo adiuuante, diligentiſsimam nos operam nauaturos in Dei nomine, pollicemur: in hoc ſtudio elaborabimus: ſint modò plurimi, qui in bellum contra fidei hoſtes dent nomina: eos omnes Panoplia inſtructos curabimus: qua muniti non ſolùm tela ab aduerſariis immiſſa, abſque vlla læſione excipiant; ſed & eoſdem paruo negotio & labore partim proſternant, partim in fugam vertant.

M. VALENTINI LAVRENTII VIDAVIENSIS ORATIO,

In fvnere Reverendi, et Clarissimi D. M. Martini Pilsnen: Philosophiae, et S. Theologiæ Doctoris, Canonici Cracouieñ. &c.

ANtequam pro ſolennitate Exequiarum, & huius officij, cuius gratia frequentes huc conuenimus, aliquid propter ædificationem & conſolationem noſtram dicemus; omnes, cum ea qua decet reuerentia, ad Euangelium conſurgamus, & verba beati Pauli Apoſtoli, ad Epheſ. cap. 6. attentè & cum timore Dei audiamus. Apoſtolus itaque in loco ſuperius allegato docet & præcipit ſic: Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt: Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſsione; vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros; ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini. Hæc ſunt verba beati Apoſtoli. Super quibus, vt doctrinas ſalutares audiamus, ſecundùm publicum, antiquum, & laudabilem in Eccleſia morem & conſuetudinem, iam humiliter poſitis genibus, gratiam & auxilium Spiritus ſancti deuotè inuocemus, dicentes: Pater noſter, &c. Aue Maria. Quemadmodum patres naturaliter amant filios; ita viciſsim boni filij patres ſuos debent redamare: debent inquam filij, non dico nunc corporum, ſed animorum patres timere, honorare, & imitari: nam ita naturà ordinatum, & comparatum eſt; vt patres, ſecundùm rectam rationem, legittimè imperent: Filij verò, cum ea, qua decet fide, & reuerentia obediant. Siquidem patres ſunt naturales Domini filiorum ſuorum: iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 3. Sicut qui theſaurizat, ita, qui honorificat matrem ſuam. Et paulò poſt, ibidem: Qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt. Eſt ergo lex

lex naturalis, & lex ſcripta,quam in ſcripturis legimus,didicimus, & à natura hauſimus;vt maiores imperent,minores ſeu filij obediant: itaque ferendi & audiendi non ſunt,qui docent patres ſe ſuis filiis humiliare debere. Nam Diuus Ambroſius ſuper cap. 1. ad Coloſsen. dicit: Qui ſe ſubiectis humiliat,totus errat: quia non tenens caput, truncus eſt, ex quo totum corpus continetur ad vitam. Et D. Auguſtinus, Paſtores, non à vobis exigitur, vt vos à ſubditis veniam poſtuletis: ne apud eos,quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas regnandi, frangatur authoritas. Ita fit, vt in quacunque domo talis inuenitur ordo, talis ſeruatur Harmonia, talis cuſtoditur regula; vt maiores tanquam caput impetrent, & minores tanquam membra obediant: in illa domo ſemper vbique eſt ordo, pax,iuſtitia, felicitas: talis domus ſemper creſcit, dilatatur, viret, floret: in domo tali gloria, & diuitiæ. Contrà, In quacunq; domo pueri non deferunt honorem maioribus ſuis, vbi non timent, non amant, non imitantur, non ſequuntur pueri veſtigia maiorum ſuorum, vbi non obediunt in licitis & honeſtis membra capiti; in illa domo perpetua confuſio,iniquitas, inimicitiæ, odia, miſeria: illa domus ſemper minuitur, decreſcit, & conteritur: iuxta illud Pſalm. 13. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum. Ego propter veritatem, & manſuetudinem,& iuſtitiam, matri meæ Academiæ Cracouień. eam opto Harmoniam,eum à Deo Opt. Max. precor proprium ac perpetuum ordinem, eam rationem, & propter temporalem felicitatem, & propter æternam beatitudinem; vt caput,hoc eſt Patres,legittimè ſemper imperent: & membra, hoc eſt, minores obediant: quoniam hæc eſt voluntas Dei: ita ipſemet ordinauit Dominus, iuxta illud Deuterono. 17. & 32. Interroga patrem tuum, & anunciabit tibi: maiores tuos,& dicent tibi. Et 1. ad Thimoth. cap. 3. Non Neophitum. Sed & Philoſophus inuenit eandem veritatem, quando dixit: Imperare & regere neſciet, qui parêre non didicit: vnde & prouerbialiter, currus bouem trahere dicitur; vbi minores contra maiores inſurgunt, & dominari temerè præſumunt, qui nondum parêre didicerunt. Fuit igitur apud nos hæc Philoſophia veteris Academiæ, Reuerendi Patres, Magiſtri Venerabiles: fuit hæc felicitas matris noſtrę Vniuerſitatis Cracouień: vt non ſolùm apud domeſticos,verùmetiam apud externos benè audiret: vt iuriſdictio Academiæ ſartatecta nobis, & ſucceſſoribus noſtris maneret: vt falſitas ſubderetur veritati, & iniquitas vbique cæderet æquitati: vt omnia ſtudia noſtra ſuo procederent ordine,& propria tractarentur methodo; quando Patres Imperabant, & filij obtemperabant:

ex quibus patribus fuit ad ſalutem Academiæ huius datus Reuerendus olim bonæ memoriæ, Martinus Pilznenſis, bonus, iuſtus, doctus, pius, humilis pater, ſacræ Theologiæ Doctor, cùm inter nos 16. commutationibus, ſine elatione, ſine querella, officio Rectoris, cum immortali laude fungeretur. Vnde igitur te ornando & laudando, quominùs tam multis præſentibus reprehendar, ipſe Pater Martine Pilzneñ. incipiam? An à patria, & genere, & parentibus? hæc certè talia ſunt, vt cùm ipſa magnam tibi attulerint laudem; tum verò etiam à te acceperint non minorem. Omittam nunc alia, dicam de pietate, iuſtitia, prudentia, fortitudine, modeſtia, & liberalitate patris Martini: & dicam quàm breuiſsimè: vos oro, vt ſoletis, attente audite; vt & virtutes illius imitemur: nam in virtute docuit, in virtute miniſtrauit, propter exemplum: tum verò ſi quid in hoc mundo ſcandalorum, laqueorum, peccatorum pleno, pro humana fragilitate contraxit, vt orationibus, eleemoſynis, ſacrificiis, totum illud, ſi non penitus abſtergere, ſaltim minuere ſatagamus: abiiciamus obſecro, inuidiam, odia, & maleuolentiam: Si quidem teſte Poëta,

Paſcitur in viuis liuor poſt fata quieſcit.

Vnde Horatius, libro 3. Carminum. Ode 24. in auaros:

Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Prima igitur & maxima cura fuit, domini Doctoris Martini, Præceptoris noſtri fideliſsimi, chariſsimi, idque à teneris ſtatim vnguiculis; vt pietatem, & iuſtitiam coleret. COLVIT magno ſtudio pietatem Chriſtianam, & religionem Catholicam: quia fidem ſanctam Apoſtolicam nunquam mutauit: nihil à fide & religione Catholica alienum vnquam docuit: imò Blaſios, Stephanos, & alios hæreticos in viam reuocauit, Eccleſiæ reconciliauit, animas Deo lucrifecit. COLVIT pietatem: nam & templa quædam noua ædificauit, & multa collapſa, & vetuſtate conſumpta, quantum fieri potuit reformauit, cuius rei vel hęc ipſa Sanctorum Omnium Collegiata Eccleſia, in qua iam dormit, & in qua pro mortuo oramus, fidelis teſtis eſſe poterit, vt nunc breuitatis cauſa, pietatis alia exempla ſimilia omittam. COLVIT pietatem: quia ſæpenumerò ſibiipſi non ſatisfecit, vt Academiæ Magiſtris, in grauiſsimis, difficilimis, & periculoſiſsimis negotiis & cauſis ſatisfaceret. COLVIT pietatem, quia patriam, parentes, amicos, Polonos, & ſtudioſos in genere, quantum fieri potuit, ſemper vbique promouere, ornare, erudire, excolere, & ſicubi opus erat, liberius admonere, corrigere nuſquam omiſit, nuſquam dubitauit: authoritatem cum humilitate, pulchrè temperauit: infirmis, & errantibus condoluit,

doluit: menſuram ſuam cognouit,& diligenter vbique ſeruauit: quia metiri ſe quenque ſuo modulo ac pede, verum eſt. COLVIT pietatem: quia multis exemplar veræ pietatis ſemper fuit. nam quantum licuit per negotia, per continuos & graues labores, (quos ille in Eccleſia & Academia non ſolùmmodo moderatiſsimè, patientiſsimè, conſtantiſsimè, ſed etiam feliciſsimè quòad vixit pertulit) Deo creatori & redemptori ſuo fideliter ſeruiuit, orationi inſtitit: ſacrificia & alia officia, non ſolùm ſalubri, ſed etiam triſti, ſuſpecto, & peſtilenti tempore, aliquando in maximis ſolennitatibus, ſolus pro omnibus in Eccleſia Cathedrali Cracouień. diligentiſsimè, & deuotiſsimè, celebrauit, abſoluit. Deinde iuſtitiam ſic coluit; vt periurium (quod iam quidam vix pro peccato reputant) cane peius & angue ſemper vbique fugeret, & pro grauiſsimo peccato vti eſt reputaret, & aliis ſummopere fugiendum demonſtraret. Porrò, ſi quem aliquando animaduertit præferentem priuata publicis, ibi tùm grauius commoueri & offendi videbatur: nam ipſemet,quantum fieri potuit, ſemper vbique publica præferebat priuatis. Extant & apud nos in Academia, quàm diutiſsimè manere debent, iuſtitiæ illius illa argumenta: quia, quæ ſunt Dei, reddebat Deo: quæ ſunt proximi, reddebat proximo: quæ ſunt Eccleſiæ, Eccleſiæ: quæ Academiæ, Academiæ: quę Cathedræ, Cathedræ: quæ debebat Profeſſor, reddebat Profeſsoribus; ita, vt ſenioribus reuerentiam, æqualibus obſeruantiam, inferioribus & omnibus in commune reddebat honorem, & amorem. Mores, conſuetudines laudabiles, & concluſiones, antiquas leges, ſtatuta, inclytæ matris Academiæ, non ſolùm in magiſtratu, hoc eſt, dum fungeretur officio Rectoratus, verùmetiam cùm viueret priuatus, ſalua, integra, ſartatecta, ſancta,& ipſemet habuit, ſeruauit, & ab aliis ſui loci, iuriſdictionis, & ordinis hominibus haberi & ſeruari voluit. Pro legibus Academiæ, ad mortem certauit: adeò, vt non tam propria aliqua calumnia, iniuria, & offenſione moueretur & afficeretur,quàm cùm aliqua contra ſtatuta,contra bonos Academiæ mores, contra honeſtatem publicam committi, vel incipi ſaltim videret. Vnde,quoties talibus hominum vitiis, pro ſuo officio occurreret,vel potius mederetur; toties à quibuſdam, ſed ſecundùm malam interpretationem, pro iuſto ſeuerus, pro corripiente patre crudelis dominus reputabatur, & iudicabatur: cùm tamen ſemper vbique, non niſi indulgentiſsimus eſſet pater; ſemper ad ignoſcendum promptus,ad puniendum tardus: neminem ille vnquam puniuit, niſi ob aliquam magnam cauſam; puniuit autem coactus, & puniuit cum miſericordia, & compaſsione. Sciuit enim præceptum Apoſtoli, ad Hebr. cap. 12.

Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neq; fatigêris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeuerate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filij eſtis. Deinde patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: nónne multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundùm voluntatem ſuam, erudiebant nos; hic autem, ad id quod vtilè eſt, in recipiendo ſanctificationem eius. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſsimum exercitatis, per eã reddet iuſtitiæ. Quamobrem Sacra Scriptura, Gene. cap. 22. commendat filium Iſaacum, quia non recedit à latere Abrahæ patris ſui, ſed perſeuerat in diſciplina patris; cui non ad oculum, ſed ex animo in ſimplicitate cordis, tanquam Domino ſeruit, &c. Contrà repræhendit ſcriptura, 1. Reg. cap. 2. filios Heli, cùm dicit: Porrò, filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum. D. Thomas ſuper 1. ad Timoth. cap. 3. lect. 2. Filij Heli, non caſti corrumpebant mulieres venientes ad templum, vnde & Heli à Domino eſt percuſſus. D. Ambroſius, ſuper Pſal. 39. Medicus minatur vt corrigat: terret vt curet: æger primò medici perſonam requirit, ſi ſit idoneus, à quo ſanari ſe poſſe præſumat. Vbi medicinæ audiuit auctorem, remedium popoſcit, ſalutem inuenit, &c. Hæc D. Ambroſius. B. Auguſtinus, Epiſtola centeſima quadrageſima ſeptima, ad Proculianum Epiſcopũ Donatiſtarum, ſcribit ſic: Audiui quidem de memorato fratre Euodio te fuiſse conqueſtum, quòd neſcio, quid tibi contumelioſè reſponderit: quod quæſo te, ne illam contumeliam deputes, quam certum mihi eſt, non de ſuperbo animo proceſsiſſe: noui enim fratrem meum: ſed ſi quid in diſputando pro fide ſua, & pro Eccleſiæ charitate dixit; fortaſſe feruentius, quod tua grauitas nollet audire, non illa contumacia, ſed fiducia nominanda eſt. Collatorem enim & diſputatorem, non aſſentatorem & adulatorem ſe eſſe cupiebat: nam hoc eſt oleum peccatoris, quo Propheta non vult impinguari caput: ita enim dicit Pſalm. 140. Emendabit me iuſtus in miſericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum. Mauult enim ſeuera miſericordia iuſti emendari, quàm leui adulationis vnctione laudari. Vnde etiam illud Propheticum Iſaiæ 3. eſt: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. Ideoque de homine, quem falſæ blandicię faciunt

unt arrogantem, rectè etiam vulgò dicitur: Creuit caput, impinguatum eſt oleo peccatoris, hoc eſt, non aſpera virtute corrigentis; ſed leui falſitate blandientis. Idem D. Auguſtinus contra Vincentium: Non omnis, qui parcit, amicus eſt, nec omnis, qui verberat, inimicus. Melius eſt enim cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate perdere, decipere. D. Hieronymus ſuper Pſal. 140. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: Pone hic, inquit, magiſtrum rectorem aliquem, aut patrem, aut medicum. ſi viderit medicus in corpore carnes putridas, & dicat, quid ad me pertinent; ſcias, quia crudelis eſt: ſi autem præcidat, & cauterium imponat, miſericors eſt; quia ſanat animam. Similiter magiſter & rector, ſi dimittit puerum, & nõ in eo exigit diſciplinam, odit eum: ſi autem exigat, vt medicus curet, quæ putatur eſſe aſperitas, clementia eſt. Hæc D. Hieronymus. Ergo non omnis ſeueritas, diſciplina, & correptio eſt mala: neque omnis indulgentia & conniuentia eſt bona. Laudatur in Euangelio factum Samaritani, qui vulnerato, mordax vinum, & purgans cum oleo infudit: repræhenditur indulgentia Leuitæ & Sacerdotis, qui vulneratum præterijt. Vnde Salomon Prouerbiorum 27. Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Parcite Reuerendi Patres, Magiſtri venerabiles properanti, parcite dicenti: tàm enim variam & multiplicẽ laudationem ſuppeditat nobis Patris Martini laudum ſeges & copia; vt & oporteat properare, & nonnulla tamen attingere ſit neceſſe. Nã & Poëta Horatius lib. 3. Carminum Ode 2. dicit ſic:

Dulce & decorum eſt pro patria mori.
Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus timidoque tergo.
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit aut ponit ſecureis,
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cælum, negata tentat iter via:
Cætusque vulgareis, & vdam,
Spernit humum fugiente penna.

Fuit igitur Reuerendus Pater Martinus pius, iuſtus, liberalis, prudens, fortis: fuit compaſsiuus, & miſericors, non vt aliqui dicunt ſeuerus, ſeueritate abutendo ad extrema: fuit promptus ad ignoſcendum, & tardus ad puniendum. Sed prius me dies deficeret, quàm virtutes

Martini Rectoris ſingulas, non dico oratione explicare, ſed ſaltem enumerare poſsim. Imitemur itaque Rectorem Martinum in virtute, in pietate, iuſtitia, prudentia,fortitudine, temperantia. Imitemur in liberalitate,humilitate,labore,patientia,conſtantia,& in alijs virtutibus, quarum apud nos recens adhuc eſt,& eſſe debet memoria. Imitemur inquam in virtute: quia ille, quòad vixit, Sanctum Martinum Patronum ſuum, imitari nunquam deſiit. Dixi de virtute Patris Martini, & dixi breuius quàm dici oportuit: reſtat, vt de ſtudiis & ingenio illius, pauca quędam,freti beneuolentia veſtra,dicamus. Vix veriſimile alijs fortaſſe videatur,ab ipſa pueritia Magiſtrum & Doctorem noſtrum Martinum, tam admirabili fuiſſe ingenij magnitudine; vix vt vllam deſiderauerit diſciplinam, vt penè prius diſcipulos habere cœperit, quàm Magiſtros. Anno Domini M. D. XXVIII. die ſelenni omnium ſanctorũ Pilznæ,honeſtis,bonis,& nobilibus parentibus natus,nihil magis ſtatim à puero coluit, quàm pietatem, iuſtitiam, temperantiã, honeſtatem,& mores nobiles: nihil magis admirari ſolitus, quàm homines doctos, quàm literas, ſtudium, artem,& philoſophiã. Annos natus 15. venit ad Academiam, optimos ſtudioſos imitatus, lectiones publicè audiuit, apud Benedictos Koſminos,& Albertos Nouicampianos, apud Nicolaum Sadek,apud Michaëlem Wiſlicen. frequentiſsimus auditor fuit. Et nõ eſt mirum,ſi pulchrè tàm citò profecerit,vt multos ſuę ætatis iuuenes,longè poſt ſe reliquiſſet: quia & ordine diſcebat,& optimos profeſſores audiebat. Poſt vigeſimũ ſuę ętatis annum, eſt publicè Baccalaureus in Academia promotus,& paulò pòſt Magiſter,& ſic cõſequenter. Anno verò M. D. LXIX. Doctoratus inſignia in ſacra Theologia,authoritate Reuerendiſsimi Domini Philippi Padnieuij, Epiſcopi Cracouien. Cancellarij Vniuerſitatis eſt conſecutus. Profitebatur publicè non ſolùm diligenter,ſed etiam fideliter, ſecundùm quod ſacroſanctum iuſiurandum poſtulabat: profitebatur cum vtilitate & honeſtate Academiæ, Eccleſiæ, & Regni Poloniæ. Cuius quidem rei ſignum eſt; quia multos bonos, & doctos diſcipulos reliquit, ex quibus facilè cognoſcas, bonum & doctum magiſtrum: quia ſicut ex fructu cognoſcitur arbor; ita ex diſcipulis magiſter. Profitebatur publicè, tàm in Cathedra inferiori, quàm ſuperiori ſupra annos 40. & potuit de ſe, ſed pro ſua modeſtia noluit,illa verba Sapient. 7. verè dicere: Mater omnium bonorum ſapientia, quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius nõ abſcondo. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus. Quo qui vſi ſunt,participes facti ſunt amicitiæ Dei,propter diſciplinę dona cõmendat. Scripſit multas doctiſsimas Homelias: ſcripſit diſcurſus,

& exami-

& examina ſpirituum. Fuit bonus logicus, diſputator acutus, bonus Phyſicus, bonus Metaphyſicus, Mathematicus bonus, iuriſperitus, optimus Theologus, fuit Oeconomus, fuit homo Polyticus, ſocietatis amans. Quid multa? poteſt equidem ſine inuidia, & ſine contradictione, nomen viri & profeſſoris boni, & docti in eo poni. Cuius quidem rei argumentum eſt non paruum: quia 16. commutationibus functus eſt Rectoratu feliciter: & in eo officio, in ea ſollicitudine, & miniſterio, vitam præſentem immortalitatis amantiſſimus, finiuit; vt vel eo ipſo argumento doceret, & oſtenderet, ſe etiam pro Academia mori: Maiorem charitatẽ nemo habet, quàm vt animã ſuam quis ponat pro amicis ſuis. Ioan. 15. Et quoniam nos multum amauit, quia non ſibi, ſed matri Academiæ, & nobis laborauit, & theſaurizauit: quia quidquid quęſierat, Academię donauit, & tanquã filiis hæreditatem reliquit: dignum certè & iuſtum eſt, vt illum viciſſim redamemus: dignum eſt, vt illi exequias ſolennes quotannis celebremus: nam eo pacto, non Martinum, ſed virtutem, doctrinam, & cathedram honorabimus. Sunt autem tria potiſsimùm, quæ à nobis nunc pater Martinus expectat & poſtulat. Primùm, vt mortis memores, animã illius orationibus, & aliis piis operibus, Deo Opt. Max. commendemus: & pro ea ſæpius deuotè oremus: & nos in pace viuentes inuicem diligamus. Secundò, vt officiorum, beneficiorum, & laborum, quos pro Academia fortiſsimè pertulit & ſuſtinuit, ſimus memores, & grati. Tertiò, ſi non poſſumus maiora, ſaltim ſimilia exempla, propter S. Eccleſiam Catholicam, propter Regnum Poloniæ, & propter Academiam faciamus. Imitemur obſecro chariſsimi, patrem Martinum, in virtute, in pietate, in ſtudio, in labore, & conſtantia: quia hoc lege naturæ, lege Dei debemus patribus, debemus patri Martino. Oremus obſecro chariſsimi, vt Deus Optimus Maximus, animam illius iubeat ſuſcipi in ſinum Abrahæ, vbi lux perpetua luceat ei, & requieſcat in ſancta pace: & nos in terra benedicat Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Deus in ſecula benedictus. AMEN.

DIXI.

Executores teſtamenti orant, & hîc publicè omnes & ſingulos deprecantur; vt ſi quem fortè aliquando pro humana fragilitate in vita pater Martinus, verbo, vel facto, vel alio quopiam modo offenderat; vt eidem pro pietate, iuſtitia, & charitate Chriſtiana, ex animo ignoſcant, & dimittant; cùm propter alia, tùm propter eum, qui dixit: Dimittite & Dimittemini.

Iacobi

Iacobi, cap. 5.

ORATE PRO INVICEM, VT SALVEMINI.

Eccleſiaſtici, cap. 40.

IVGVM GRAVE SVPER FILIOS ADAM, A DIE EXITVS DE VENTRE MATRIS EORVM, VSQVE IN DIEM SEPVLTVRAE IN MATREM OMNIVM.

EPITAPHIVM

REVERENDI PATRIS M. MARTINI PILZNEN. &c.
apud Omnium Sanctorum Præpoſiti,
Canonici Cracouien: &c.

Quæ mihi ad incertam clauduntur lumina noctem,
Hæc eadem certam ſunt habitura diem.
Tu quoque dum viuis Lector, memor eſto ſepulti,
Vtque, roges, viuat ſpiritus arce poli.

IOANNES GASSINSKI BOCHNEN.
A. L. B.